Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

49.4.38.

FRANC. XAV. MANNHART
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA DOMESTICA

BONARUM ARTIUM AC ERUDITIONIS STUDIOSORUM USUI

INSTRUCTA ET APERTA

OPUS

SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS ACCOMMODATUM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOMULUS II.

DE POESI, AC RHETORICA SEU ELOQUENTIA SACRA ET PROFANA.



CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.
MDCCLXII.

EPITOME
LIBRI III.
DE POETICA.

BIBLIOTECA N.
ROMA
EMANUELE

CAPUT I.
IDEA POETICÆ.

§. I.
Oestrum Poeticum.

1.

Poesis est cœli donum, & naturæ beneficium. Quid sit Oestrum Poeticum, ex Cicerone, Ovidio & Platone explicatur. Cur Poetæ Enthei fuerint dicti.

II.

Poetæ ſacri, ut Moſes, David, &c. cœleſti Numine afflati. Hos imitati ethnici innumeris fabulis veritatem involverunt, & corruperunt. Alio ſenſu Oeſtrum poeticum eſt prompta vis ingenii & facilitas ad pangendos verſus.

§. II.

Geminæ Dotes Poeſeos.

III.

Prima dos eſt delectare. Delectant autem Poetæ tum fictionibus, tum deſcriptionibus.

IV.

Secunda dos utilitas eſt. Hanc Poetæ exercent mores inſtruendo, abſterrendo a vitiis, ſuadendo virtutem, & pietatem in ſuperos. Homeri Ilias & Odyſſea, atque Virgilii Æneis ſunt quædam Philoſophia morum. Socratis effatum de utilitate Poeticæ.

§. III.

Adjumenta ad has dotes Poeticas.

V.

Ad delectationem plurimum conferunt numerus, & harmonia verſuum: deſcriptiones, dictiones figuratæ: narrationes mirabilium eventuum: ac fabulæ intermixtæ.

VI.

Ad utilitatem maxime conducunt tum carminis modulatio & dulcedo, qua turbatis mentibus tranquillitas reſtituitur: tum ſalutaria monita, morum præcepta, & latentes ſub fabulis veritates. Diſcrimen inter vim Eloquentiæ, & Poeticæ.

§. IV.

Pretium Poeticæ.

VII.

Quanto in pretio priſcis fuerit Poeſis, etiam viris Conſularibus, etiam Imperatoribus. Plura hujus rei exempla.

VIII.

Modica ævi noſtri æſtimatio inſignium Poetarum. Oſtenditur falſitas opinionis, ac ſi Poeſi nullum eſſet commercium cum veritate. Etiam Patres & Eccleſiæ Doctores vacarunt lectioni Poetarum.

§. V.

Criſis in Poetas obſcœnos.

IX.

Criſis deſumpta ex Iſocrate, Juvenali, & Ovidio. Cura Patrum Societatis in expurgandis Poetis priſcis. Reprehenduntur, qui juventuti obtrudunt libros turpes Poetarum, non correctos, & ſcholiis turpioribus plenos. Ciceronis, Auguſtini, & Vives graviſſimum judicium circa Poetas obſcœnos.

X.

Perſtringitur turpis licentia Poetarum, & ante oculos ponitur juventuti periculum præſens ſeductionis. Exemplum & effatum Æneæ Sylvii, poſtea Pii II. Pontificis.

CA-

CAPUT II.

HISTORIA POETICÆ.

§. I.

Prima lineamenta hujus artis.

XI.

Poeſis origo tum ex imitatione, tum ex harmonia & rhythmi amore, ſecundum Ariſtotelem. Quid ſit imitatio, quid harmonia, quid rhythmus. Origo rhythmi ex ſacrificiis, conviviis, nuptiis, & victoriis.

XII.

Origo metri ex pedum ordine, & ſyllabarum menſura. Medio ævo multus erat rhythmorum uſus: metri vero magna ignorantia.

§. II.

Primi parentes Poeticæ.

XIII.

Aput Veteres tam græcos quam latinos prior fuit uſus carminis, quam proſæ, ſeu ora-

orationis ſolutæ. Produntur primi parentes carminum: Heroici, Elegiaci, Comici, Tragici, Bucolici, Satyrici, Lyrici: quamvis hæc omnia ſint incerta & ſubleſtæ fidei.

XIV.

Origo vera poeſeos. Primi Poetæ ſacri. Pagani a ſacris ad profana numina ſua & heroes celebrandos Poeſin tranſtulere. Cantores & Miniſtri ſacrorum ethnicorum.

§. III.

Progreſſio Poeticæ.

XV.

Epopœjæ origo & progreſſus: Carminis Tragici ſeu Tragœdiæ: Comici, Elegiaci, Satyrici, & Lyrici cum eorum ſcriptoribus Græcis & Latinis.

XVI.

Quinque ætates Poeticæ: infantia, adoleſcentia, virilis, ſenium, decrepita. Sub barbaris vix non extincta refloruit & in-

& inſtaurata fuit a Dante, Petrarcha. Bocacio, & aliis. De coronis Poetarum ex lauro, ex hedera, & ex myrto. Harum origo. Certamen Homeri & Heſiodi pro lauro Poetica.

CAPUT III.

NATURA POETICÆ.

§. I.

Finitio ejusdem.

XVII.

Poeticæ nomen unde derivetur. Præcipuum illius artificium eſt imitari. Hoc non ſolum ſententiis, ſed etiam ipſo verſuum numero Poetæ conſequuntur.

XVIII.

Quid ſit Poema, & quomodo diſtinguatur a rhythmo & metro. Varietas Poematum ſeu Carminum: aliud nuncupatur ab auctoribus, aliud a materia, aliud ab inſtrumentis muſicis, quæ adhibebantur: aliud a pedibus, aliud a ſtatuis & marmoribus, quibus inſcribebantur.

§. II.

Diviſio Poeticæ.

XIX.

Diviſio prima Lilii Gyraldi a forma & materia. Poetæ celebres, qui de variis materiis poemata compoſuerunt. Secunda diviſio Julii Cæſaris Scaligeri in tres ordines: vetuſtum, medium & laurigerum.

XX.

Diviſio melior Poſſevini: in divinam, naturalem, & moralem, quarum quælibet uberius explanatur.

§. III.

Characteres Poeticæ.

XXI.

Sunt 1. *Ingenium fertile ac penetrans.* 2. *Judicium maturum ac vivax.* 3. *Vena facilis ac fluida.*

XXII.

Sola natura ſine arte non ſufficit ad formandum Poetam numeris ſuis abſolutum.

tum. Poetæ excellentes in vario carminum genere. Grande officium Poetæ. Ex Homeri poemate maximi quique viri profectum hauſerunt.

CAPUT IV.

OECONOMIA
SEU
ARTIFICIUM POETICÆ.

§. I.

Deſignatio Poematis.

XXIII.

Similitudo Poeticæ cum pictura. Explicantur dotes Poeſeos adducto ex Virgilii Æneide exemplo.

§. II.

Fabula Poematis.

XXIV.

Fabulæ diviſio in ſimplicem & compoſitam. Compoſita conſtat ex involutione ac evolutione : illuſtratur utraque ex Æneide.

XXV.

XXV.

Fabulæ dotes admirabilitas & veriſimilitudo. Ut perfecta ſit, debet habere epiſodia. Exempla ex Homero & Virgilio.

§. III.

Mores & Adfectiones animi.

XXVI.

Obſervandi ſunt bene characteres perſonarum. Dein mores debent eſſe conformes naturæ. Demum ætatis, ſexus, & fortunæ ratio habenda, uti patet ex adductis Virgilii exemplis.

XXVII.

Ad exprimendas adfectiones animi opus eſt imaginatione ac meditatione, uti monſtrat Virgilius.

§. IV.

Dictio Poetica.

XXVIII.

Dictio ſeu ſtilus Poeticus requirit 1. *fortes expreſſiones.* 2. *Circuitiones & ambi-*

ambitum verborum. 3. *Numerum & harmoniam verſuum. Exempla ſingulorum ex Virgilio.*

XXIX.

4. *Figuram repetitionis.* 5. *Epithetorum gratiam.* 6. *Breves deſcriptiones, quandoque longiores etiam narrationes.*

XXX.

7. *Orationes, ſeu oratiunculas exquiſitas, & vehementes. Hæc omnia palam fiunt exemplis ex Æneide adductis.*

CAPUT V.

DIVERSA POEMATUM GENERA

§. I.

Epopæja.

XXXI.

Poema aliud eſt Epicum, aliud Dramaticum: ad epicum refertur Elegia, Satyra, Ode, Epigramma; ad Dramaticum

ticum Tragœdia, & Comœdia. Poema Epicum debet habere unitatem circa actionem heroicam. 2. Debet esse perfecta virtutis imago. 3. Requirit excelsum ingenium.

XXXII.

Narratio in Carmine Epico quomodo debeat esse constituta, & quomodo differat ab historica. Fabula præcipua dos est Epopœiæ: per hanc res etiam exiguæ grandes fiunt. Exempla ex Homero & Virgilio.

§. II.

Tragœdia.

XXXIII.

Tragœdiæ præstantia & utilitas. emendat secundum Aristotelem pravos motus, & ad virtutem excitat. Involutiones in Tragœdia perturbant animi motus, sed exitus iterum corrigit, quod erat immoderatum.

XXXIV.

Tragœdia debet constare involutione & evolutione: posterior poscit agnitionem

nem non exſpectatam: prior errores agnitionem antecedentes. Agnitio fieri poteſt circa res, vel perſonam, vel circa utrumque. Inſignes Tragœdi.

§. III.

Comœdia.

XXXV.

Comœdiæ idem artificium convenit, quod Tragœdiæ. Ridiculum prima dos eſt Comœdiæ. Comico neceſſe eſt, perfecte mores hominum noſſe in communi vita, eosque imitari poſſe. Inſignes Comici.

XXXVI.

Comœdiæ antiquitus multum Reipublicæ profuerunt: hoc ævo non raro plus obſunt, quando nugas amatorias tractant.

§. IV.

Minora Poematum genera.

XXXVII.

Ecloga quid ſit. Ejus materia & dotes. Satyra unde dicatur: in ea caveri debet nimia

nimia dicacitas. Habet ſtilum ſibi proprium. Scriptores inſignes eclogæ & ſatyræ.

XXXVIII.

Elegia ad fiſtulam lugubri ſono cantari ſolebat: inde flebilis dicta eſt ob materiem. Poſtmodum ad alias quoque materias non triſtes translata fuit. Ejus dotes. Præſtantes Elegiaci.

XXXIX.

Ode ſeu Poeſis Lyrica. Ejus character ſublimis eſt, ac mediocritatem reſpuit. Eximii Poetæ Lyrici. Epigramma, cujus dotes: brevitas, argutia, & venuſtas. Emblema, & Ænigma.

LIBER III.

DE POETICA.

BIBLIOTECA VAT. ROMA

CAPUT I.

IDEA POETICÆ.

§. I.

Oeſtrum Poeticum.

I.

QUamvis in dubium vocare nefas ſit, quin artes omnes atque ſcientiæ ex alto deſcendant, & in hominum mentes illabantur, ſingulari tamen prærogativa hanc ſibi laudem vendicat Poeſis, quod cœli quoddam donum ſit, & naturæ beneficium: Poeta enim naſcitur, dum Orator fit. Pa-

lam facit iſtud ſolemnis apud Veteres loquendi formula, quando de Poetarum indole agentes, ejusmodi verbis utuntur, quibus veluti coloribus eos quodam *afflatu*, *oeſtro ac furore* percitos nobis depingunt. ita Cicero negat, quemquam ſine inſtinctu & afflatu Divino Poetam magnum eſſe poſſe : & in Orat. pro Archia : *atque ſic*, ait, *a ſummis hominibus eruditiſſimisque accepimus, cæterarum rerum ſtudia & doctrina & præceptis conſtare ; poetam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi Divino quodam ſpiritu afflari.* Non minus Ovidius (a) Poetarum omnium nomine ac ore canit :

Eſt Deus in nobis : agitante caleſcimus illo,
Spiritus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Quæ ratio fuiſſe videtur, quod Plato (b) Poeſin artem eſſe negaverit, aſſerens eam non tam induſtria & labore, quam cœleſti numine quodam afflante comparari, quod Græci Ἐνθουσιασπὸν, Latini furorem Poeticum appellarunt, unde *Enthei* dicebantur, qui hoc impetu divino correpti verſus profuderunt. Equi-

(a) *Faſt.* 6. (b) *In Jone.*

quidem non latet me, quod hæc aliave Veterum de Poeſeos divinitate ſenſa inter fabulas & figmenta, quorum adeo prodiga fuit ætas illa, multi recenſeant; verum mitius ſentire licebit, ſi rei hujus originem inſpiciamus.

II.

Eſt autem hæc ab ævo ſacrorum Poetarum petenda: Novimus Moſen, Iſraelitarum Ducem, ubi ſicco pede mare rubrum cum populo transmiſit, divino ſpiritu animatum celebre illud carmen hexametrum compoſuiſſe: *Cantemus Domino, &c.* (c) Non minus Mariam ſororem Aaronis magno mulierum comitatu ſtipatam *cum tympanis & choris* idem decantaſſe: Novimus etiam Deboram, Iſaiam, aliosque antiquæ legis, tum fœminas tum viros ſanctos, ſimilibus Canticis divinas laudes & grandia celebraſſe myſteria: præcipue vero Davidem Prophetico ſpiritu correptum inter ſuaves cytharæ modulationes Pſalmos ſuos effudiſſe. Nimirum ubi potentia DEI, beneficiis ac inſolentibus prodigiis inclareſcens, laudibus erat extollenda, ſacri Poetæ iſti concentu muſico ſemet excitantes, & arcana numinis vi in præcor-

(c) *Exodi* 15.

dia ſe transfundente velut in ecſtaſin rapti carmina ſua promebant, & populo exultanti præibant. Atque hic erat furor ille cœleſtis, hoc œſtrum illud ſacrum, quod in Divinorum Vatum iſtorum libris legentes profani homines ſuis quoque affinxere Poetis, vel dæmones ubique Divinitatis umbram ſectantes ſacrificulis ſuis Deorum laudes cantantibus inſpirarunt. Ubi vero poſtmodum a Sacris ſeu veri ſeu falſi Numinis ad Heroes, eorumque inſignes virtutes, & præclara facta celebranda Poeſeos faeultas translata fuit, oeſtri Poetici ac furoris nomine veniebat ſerenus quidam ſpiritus, mens lucida, ætherisque in omnem partem mobilis æmula & prompta vis ingenii, qua varii generis poemata facili ac divite vena fundebantur. Hoc certe præditus erat, qui de ſe ipſo cecinit, Naſo :

Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos,

Et quod tentabam dicere, verſus erat: (d)

§. II.

(d) *Triſt.*

§. II.

Geminæ Dotes Poeticæ.

III.

Verum quacunqe ratione iſta ſe habeant, non eſt opus Poeticæ encomium procul e cœlo advocare: viciniora nobis ſunt, quibus præſtantiſſima hæc diſciplina ſeipſam mortalibus commendat. Quippe ſi finem illius ſpectemus, ob quem primum inventa eſt ars hæc tam Superis chara, quam grata hominibus, eum Horatius nobis prodit. (e)

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poetæ,
Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ.

Quibus ſane duabus rebus neſcio quid beatius accidere poſſit humanæ vitæ. His enim geminis veluti limitibus, utilitate jucunditateque, tota quanta eſt, circumſcribitur, nec ultra duas has Herculis columnas vela facere hactenus ulli mortalium licuit, quum natura & ſenſus animi jucunditatem in omnibus aucupentur; mens autem & ratio utilita-

(e) *De arte Poetica.*

tem ubique perſequatur. Utrumque autem Poeſis complectitur. Quid enim jucundius, quam quum Auroræ domum purpura fulgentem, Phœbi auream quadrigam, & ſolis equos ignem vomentes, argentea Lunæ cornua, Siderum choreas, Superum atria, & Olympi ſplendida tecta deſcribit? Quid amœnius, quam quum nunc oceanum fluctibus tumidum & velis ſuperbum, Æoli & ventorum carceres, Neptuni mare pacantis imperium, ſcyllæ atque charybdis pericula, Nympharum & Sirenum choros & cantus ante oculos & aures ponit? nunc ſilvas & ferarum latibula præeunte Diana, ſequente venatorum turba, & canum odora vi excutit; heic retia tendit, illic vulpes, lepores, ac damas venabulo exagitat; ibi cervos & apros ingentes ſternit: nunc urbes magnificas cum Didone Regina ſtruit, mœnia & turres ipſi Olympo minitantes cum Semiramide erigit: palatia Phydiæ, Zeuxis, Phrygumque opibus undique ornata exhibet, ac Tempe, hortos penſiles, Floræ, Pamonæ, cererisque laboribus dives, & gelidæ Thetidis ſaltibus hilares ſpectandos præbet: nunc martios ſpiritus induit, caſtra metatur, urbes corona cingit, mœnia ſubruit, hoſtiles exercitus

citus infeſtis committit ſignis, & campos funeribus implet, atque victoribus trophæa erigit, porrigit lauros & palmas, ovantes in Capitolium deducit. Quid ſuavius, quam quum hæc omnia vivis troporum, figurarumque Poeticarum coloribus depicta oculis ſubjicit, ac verſuum miro concentu, metrique admirabili harmonia in aures deponit? Certe cunctarum artium & ſcientiarum, Aſtronomicæ, Architectonicæ, Nauticæ: Venaticæ, Bellicæ, Muſicæ, cæterarumque theſauros & cimelia velut in ſinu recondita circumfert una Poeſis, ita ut nullum vitæ humanæ commodum, nulla jucundi amœnive ſpecies eam ſubterfugiat. Hinc, ut recte animadvertit Pontanus, nec Homerus nec Virgilius hominum diverſiſſimorum actiones, ſermones, ingenia; mores, affectus, ſtudia, imitari: neque de ſuperis, mediis, infimis: neque de naturalibus, de cœleſtibus, de regionibus, civitatibus, legibus, artibus, inſtitutis, virtutibus, vitiis ſcribere quidquam potuiſſent, niſi multarum doctrinarum, atque univerſarum prope rerum periti exſtitiſſent.

IV.

Non minor tamen illi utilitatis ratio & cura, imó præcipua : nam ad mores informandos, moderandas animi adfectiones, ac temperiem mentis conciliandam, tollenda vitia, virtutis amorem, & debitam ſuperis reverentiam hominum cordibus inſpirandam nata factaque videtur. Profecto ſi de Poeſi Heroica loquamur, Homeri ſeu Ilias, ſeu Odyſſea quædam Philoſophia morum eſt, præceptis optimis plena, quibus vitæ cujuscunque conditio recte gubernari poſſit. Principem in Ulyſſe ſpectandum præbet, qui ſuſcepto per varias regiones terra marique itinere regendi artem magnis ſumtibus inquirit :

Qui mores hominum multorum vidit, & urbes. (f)

In Penelope fidelem conjugem, in Telemacho filium in Superos pium, & parentibus obſequentem, in Achille fortiſſimum Ducem exhibet. Hæc ipſa morum ornamenta mutatis nominibus in Ænea, Julo, Achate, Didone, Hectore palam exprimit Virgilius in Æneade ſua. Si Elegiacam ſpectemus, crudos ferocesque mo-

(f) *Horat de art. Poet.*

motus animi teneris affectibus, dulcique modulamine velut Orpheus ſilvas, & delphinas Arion demulcet : ſi Tragicam, Comicam & Satyricam conſulamus, ſcelerum horrorem amoremque ingenerat, civilemque vitam a vitiis ſuperbiæ, avaritiæ, libidinis, prodigentiæ, & quæ ſunt alia, expurgat. Si Lyricam conſideremus, Deorum aris devotas mentes adhibet, generoſos ſpiritus ipſa ſermonis ſui ſublimitate excitat, grandiaque facere ac ferre docet. Quapropter apud Quintilianum (g) Theophraſtus Poetarum lectionem plurimum utilitatis afferre ſapienter monet. Nam ab iis & in rebus ſpiritus, & in verbis ſublimitas, & in affectibus motus, & omnis decor petitur, atque ingenia, quotidiano actu forenſi velut attrita, optime rerum talium blanditia reparantur. Et vero ſi Straboni credimus, Græcorum civitates ab ipſo primordio liberos ſuos in Poetica erudierunt, non utique voluptatis, ſed caſtæ moderationis gratia. Cenſebant enim Poeſin primam quandam Philoſophiam eſſe, quæ ab ineunte nos ætate ad honeſte vivendi rationes adducit, quæ mores, quæ adfectiones edocet, quæque res generoſas cum jucun-

(g) *Lib.* 10. *Cap.* 1.

ditate præcipit. Nempe Socratis ſui ſapientiſſimi effatum animo altum defixerant, qui crebris uſurpare ſermonibus ſolebat: Vates nonniſi Divino quodam ſpiritu incitatos ſingularia vivendi documenta hominibus prodidiſſe.

§. III.

Adjumenta ad has dotes Poeticas.

V.

Operæ pretium heic eſſe videtur mihi, viam pandere, per quam ad geminas iſtas, de quibus memini, dotes Poeticæ recta perveniri poſſit. Itaque, ſi delectare velit Poeta, primo omnium adhibebit numerum & harmoniam, quæ verſibus cæteroquin languentibus ac velut emortuis vitam & animam inſpirent. Hac ratione alius convenit numerus proſperis jucundisque, alius ſiniſtris, mœſtis ac triſtibus, alius quum res graves & admiratione dignas, alius quum animi motibus diverſis ac vehementibus obnoxias canit, quemadmodum alio in loco exemplis in medium productis demonſtrabo. Sic enim fiet, ut per ipſum verſuum ſonum, atque concentum viva quædam rerum imago in legentis vel audien-

dientis animum transferatur. Præterea plurimum ad delectationem conferunt deſcriptiones, naturam illorum, quæ narrantur, maxime propriis ac lucidis characteribus exprimentes; ubi opus eſt forti phantaſia ſeu imaginandi facultate, qua præditus Poeta, quidquid amœnum ac placens eſt reperire in hoc mundi theatro, cum libertate æque grandi ac fidelitate quaſi ante oculos ponere noverit. Non minus inſignem oblectandi vim habent dictiones figuratæ, quæ majeſtatem conciliant; ideæ magnificæ, quæ actionem propoſitam illuſtrem reddunt, & fulgurantes ſententiæ, quæ ſi parce adhibeantur, juſtoque loco, mire condiunt carmen. Denique ſerviunt vel maxime ad excitandam delectationem tum narrationes eventuum hujusmodi, quæ aliquid ſupra communem rerum ordinem in ſe continent; tum fabularum admiſtiones, per quas rebus alias vulgaribus nova quædam & admiranda facies non raro induitur, & latens veritas fictionis ope non mediocri cum amœnitate ſe prodit. Ita ſane Homerus placet, etiam ubi caſum ſubulci in Odyſſea ſua deſcribit, & Virgilius in Georgicis, dum de fimeto & carduis agit: nihil enim eſt tam vile ac incultum, quod

quod non ex ore Poetæ bono genio affiati pulchrum, floridum & amœnum prodeat.

V I.

Quodſi etiam prodeſſe cupiat Poeta quod profecto princeps opus & labor eſt hujus artis, & altera dos, de qua loquimur, Poeticæ : (h)

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,

conſequitur id diverſis viis. Nam ipſa carminis modulatione ingenio ſimul ac menti in id intentæ quietem inter innumeras vitæ curas turbatam reſtituit, & dulcem veluti ſoporem adſpergit : quin etiam naturæ vires recreat, mœrorem abſtergit, tædia levat, & ad reliquas functiones expeditam reddit : ſed hæc artis hujus naturæ conſentanea ſunt: majus eſt emolumentum, quod ſequitur, nimirum doctrina morum, dum ſalutaribus monitis animum etiam non advertentem imbuit, pravasque adfectiones ſuaviſſime corrigit, quas nuda virtus ſemper auſteri aliquid etiam vultu præferens tam facile ſubjugare nequiviſſet. Imitatur ſcilicet Poetica medicos,

(h) *Horat. arte Poet.*

cos, qui amariſſimas etiam potiones & abſynthia melle aut ſaccharo condita ægrotis propinant: ut eo lubentius bibant, quo ſævius in viſcera graſſantur, donec noxios e corpore humores expellant. Et vero dos hæc facultati huic præ cæteris omnibus propria eſt. Quem latet, quanta ſit vis eloquentiæ? quam rapido curſu torrentis inſtar ſe in hominum aures & animos effundat? non ita tamen apta eſt ac potens ad vitiorum horrorem incutiendum, & ad virtutem perſuadendam, quemadmodum Poeſis, quum longe magis moveamur ab iis, quæ ſenſibus blandiuntur, quam quæ rationi patrocinantur. Liceat duo præ reliquis exempla ad rem hanc adprime pertinentia proferre. Quem non terreant Tartara, quorum adeo frequens eſt apud Poetas mentio, contentaque in iis ingentia tormenta ſceleratis deſtinata, quibus in omne genus criminum a mortalibus commiſſorum crudeliter ſævitur? hæc tamen cuncta leguntur aviditate maxima, nec minore attentione, utpote tot ingenioſis fabulis intertexta, dum animæ vita functæ Charontis cymba per lethen transferuntur *Æneid.* 6. dum terrificæ Judicum triadi Æaco, Minoi, & Rhadamantho ſiſtuntur, dum ad

infe-

inferos ob ſcelera damnatæ per ſtygem ad Cerberi janitoris antra devehuntur, tandemque in Tartara ſeu carcerem pœnis crudeliſſimis, ſæviſſimisque tortoribus inhabitatum præcipitantur: cruciatibus nunquam finiendis cum Tantalo, Siſypho, Jxione ac Prometheo afficiendæ. Contra vero quantos ad virtutem & præclara facta ſtimulos addit beata Sedes illa, in quam pios manes corporis hujus vinculis ſolutos transmittit antiquitas, ſcilicet in campos Elyſios nemoribus, hortis, fluminibus, palatiis ad omnem ſplendorem exornatos, ubi ver perpetuum, deliciæ exundantes, pax & tranquillitas ſumma, aurea undique ſecula, & conſortium cum ipſis Diis atque Deabus longe jucundiſſimum. Ita nimirum ope poeſeos ſcelerum horror & virtutis amor per fabulas, & vivis coloribus depictas imagines in phantaſiam, ab hac in ſenſus, & ab iſtis denique in animum ſuavi ſimul & efficaci quadam velut incantatione illabitur, intimisque fibris receptus inhæret.

§. IV.

§. IV.

Pretium Poeticæ.

VII.

Dum ita prodeſſe ſimul ac delectare ſtudet Poeſis, quid mirum, ſi pridem inſignium quorumque virorum, ingenio & operibus præſtantium, amorem æſtimationemque ſibi ſuisque Clientibus conciliarit? Profecto a Scipione Ennius, profanorum Poetarum vetuſtiſſimus, a Lucullo Marius, Virgilius ab Auguſto, Horatius a Mecænate, a Gratiano Papinius, Tibullus a Meſſala, Auſonius a Gratiano, ſingulique in hac arte Magiſtri, ejusque Cultores eximii, a ſummis Principibus aliisque non ſolum honoribus, ſed etiam opibus larga manu cumulati fuerunt. Ptolomæus Philapator Homeri Poemata tanti fecit, ut templum ſtruxerit ejus honori & memoriæ conſecratum, in quo hujus Poetarum principis ſimulacrum ſedili ſublime impoſitum collocavit, pone adjacentibus iis civitatibus, quæ Homerum civem ſuum eſſe jactabant. (i) Vicinum magis eſt noſtris temporibus monumentum,

(i) *Ælianus lib. 13. de Var. Hiſt.*

tum, quod Franciſco Petrarchæ Florentino fuit ſtatutum. Hic relicto legum ſtudio Poeticæ ſe totum impendit, tantamque in hoc bonarum literarum genere peritiam eſt conſecutus, ut in ſummorum Principum, Pontificum, Patrumque Purpuratorum amicitiam penetrarit: Illud vero ſingulare, quod compoſito a ſe poemate, quod *Africam* inſcripſit, ita paſſim inclaruerit, ut uno eodemque die & anno (miro ſane conſenſu) & a Senatu Romano, & ab Academia Pariſienſi ad ſuſcipiendam Laurum Poeticam fuerit invitatus. Neque grandis hujuſcemodi favor ac æſtimatio, qua ſummi quique Viri Poetas ſunt complexi, absque horum merito fuit. Nam Heroes, poſtquam vita glorioſe defuncti ſunt, rurſus Vatum carminibus vivere apud poſteritatem incipiunt, uti canit Horatius:

Dignum laude Virum Muſa vetat mori,
Cælo Muſa beat. (k)

Et alibi:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrymabiles;

Urgen-

(k) *Lib. 4. Ode 6.*

Urgentur ignotique longa
Nocte, carent quia Vate ſacro. (l)

Non autem ſolum Principes Viri ac Proceres ſummos Poetis honores habuere, verum ipſi pangendis carminibus tempore a curis Reipublicæ vacuo ingenium ſuum & calamum adhibuerunt. Certe Elium, Scipionem, Furium, Sulpitium, maximis & Conſularibus conſpicuos muneribus, non raro eodem cum Terentio cubili concluſos ſociam eidem operam junxiſſe docto in otio tradunt Scriptores. Auguſti Curia non tam Prætorianorum militum armis, quam Muſarum vocibus reſonabat, quibus ſuam quandoque indulſit quoque Auguſtus: de Germanico præclare inquit Quinctilianus (*l*): *Germanicum Auguſtum ab inſtitutis ſtudiis deflexit cura terrarum; ſed parum Diis viſum eſt, eum eſſe maximum Poetarum. Qui caneret bella melius, quam qui ſic gerit?*

VIII.

Sed hæc olim tempora, hi mores fuere, aureis illis ſeculis, quibus lauri creve-

(l) *Ode* 9. (m) *Lib.* 10. *Cap.* 1.

creverunt in gratiam Poetarum : nunc ferrea vivimus, & ſtramine contenti vivere coguntur. Otioſorum diſciplina vulgo audit Poetica :

Nunc hederæ ſine honore jacent, operataque doctis
Cura vigil Muſis, nomeu inertis habet. (n)

Jejunum ſtudium ejusmodi hominum, qui cupiunt non ſine ingenio nihil agere : ars voluptuaria cum cytharœdis, dulciariis & Apiciis eadem in tribu collocanda, quæ neque ad bonum Reipublicæ, neque ad civium felicitatem ullam confert ſymbolam. Extincta penitus eſt ſtirps Mecænatum, neque ullos hac ætate nepotes amplius numerat, uti futurorum præſagus Juvenalis cecinit : (o)

Quis tibi Mecœnas ? quis nunc erit aut Proculejus,
Aut Fabius ? Quis Cotta iterum ? Quis Lentulus alter ?
Tunc par ingenio pretium : tunc utile multis
Pal-

(n) *Ovid. 3. de Arte.* (o) *Satyr. 7.*

Pallere, & toto vinum neſcire Decembri.

Neque deſunt temporum iſtorum Criticis, aut ut melius dicam, antiquorum Ariſtarchis ſpecioſæ quædam rationes, quibus hanc artem in invidiam vocant. Nullum ajunt Poeticæ commercium cum veritate, quæ tamen ſola humanarum mentium ac ingeniorum deſiderio digna eſt. Miſcentur cuncta fabulis, quibus nuda veritas nativam pulchritudinem ſuam fere totam perdit: nec ſolidis rationum momentis excolitur ingenium, ſed fluxis imaginibus, & fatuis velut ignibus impletur, in fumum brevi abituris; quin quod lenociniis ſuis legentium animos muliebriter emolliant, & bonos mores fabularum ſuarum, verborumque venerem olentium turpitudine non raro corrumpant. Si hæc aſſerunt iſti de Poetis quibusdam, qui naſcuntur cum fungis, aut ſupra Heliconis juga volatu ſuo tendunt, non eſt, cur illis refragemur: at ſi de arte Poetica ipſa, vel Poetis in Parnaſſo domeſticis, & quibus lauri creſcunt in hortis ſuis, intelligant, ipſi ſane a veritate multum aberrant. Nam genuina Poeſis veritati, quæ odium plerumque parit, ſub fabulæ involucro

decorem amoremque conciliat, ſevera morum præcepta amœnis fictionibus condita proponit, & ingentem totius Ethices ſuppellectilem ſinu ſuo reconditam gerit. Unde ſummis quibusque Viris, & Patribus & Eccleſiæ Doctoribus Poetarum lectio ſemper familiaris fuit, eo fine, ut ex ipſis illuſtres quasdam ſententias vel ad rerum explicandam naturam, vel ad bonos mores & vitæ honeſtatem ſuadendam pertinentes decerperent, ſuisque non ſine gratia libris inſererent. De Ariſtotele Philoſophorum Principe ſatis conſtat, quod ex Homero tanquam locupletiſſimo veritatis theſauro non paucos verſus deprompſerit, quibus ſuas de rerum natura & indole ſententias illuſtravit. Parili modo tria illa Chriſtianæ Religionis lumina longe clariſſima Lactantius, Hieronymus & Auguſtinus ex Marone, Perſio atque Horatio lectiſſimos quosque carminum flores delibarunt, quos exornandis ſacræ doctrinæ placitis non ſine aurium animorumque voluptate adhiberent. Quid? quod ex Epimenide, Arati & Menandri ſcriptis magnus ille arcanorum cœleſtium interpres Paullus ſacros in uſus apte adpoſiteque derivarit, quibus peſſima vitæ inſtituta non modo reprehenderet, verum

verum etiam ad mitiorem honeſtioremque vitæ normam ſeu gentilium ſeu chriſtianorum animos revocaret. Quod utique nunquam feciſſent tales tantique Viri, ſi veritatem e Poeſi penitus exulare, eamque hiſce lenociniis obſcurari potius, quam commendari credidiſſent. Id tamen fateri oportet, antiquos Patres, uti Clementem, Baſilium, Cyrillum, Euſebium, Theodoretum, Juſtinum diligenter quidem volutaſſe Poetas Ethnicos, non tam ut elegantiam addiſcerent, quam ut gentilium errores confutarent, & ſuis opprimerent armis, non ſecus ac olim Hebræi argentea aureave vaſa mutuati ſunt ab Ægyptiis, ut eorum ſpoliis ad veri Numinis ſacra peragenda uterentur, aut quemadmodum David a latere ſuperbiſſimi Goliæ gladium abſtraxit ad eum debellandum necandumque.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

§. V.

Criſis in Poetas obſcœnos.

IX.

Jam vero illud, quod Poetæ quidam, etiam primi ſubſellii, multis turpitudinibus carmina ſua illinierint, non eſt vitium artis, ſed mentis, & malarum, quibus ardebant, cupiditatum. Deteſtantur hanc animorum morumque peſtem, quotquot caſtæ Palladi ſacramentum dixerunt, & inter Muſarum choros innocuam degunt vitam. Nihil tamen prohibet, quo minus aurum a ſcoria ſeparatum, & gemmas e ſordibus ſterquilinii extractas amplectamur. Nemo enim facile inficias iverit, e plerisque Poetis ethnicis multa quoque intelligi poſſe, quæ ad rerum naturas veſtigandas, & ad mores efformandos pertinent, quamvis eorum aliqui turpia vel turpiter ſcripſerint. Alte menti impreſſam Iſocratis ad Demonicum gnomen habeant, quotquot ſeu pangendis ſeu legendis carminibus operam navant: *Quod facere*, inquiebat, *duxeris eſſe turpe, ea exiſtima, ne pulchrum quidem eſſe, dicere.* Præſertim vero teneræ juventutis hac in re habenda eſt ratio, nec promiſcua illis Poetarum

rum lectio concedenda, ne mature veneno inficiantur, viſcera ſenſim depaſcente.

Nil dictu fœdum, viſuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer eſt.

Canit Juvenalis. (p) Et Ovidius ipſe damnat improbas artes ſuas, quas docuit : (q)

Eloquar invitus, teneros ne tange Poetas,
Submoveo dotes impius ipſe meas.

Quæ ratio eſt, cur viri docti ac probi, præſertim Societatis JEſu Patres, primis ſtatim temporibus, quibus Gymnaſia & juventus in literis ſimul & moribus inſtitudenda ipſorum curæ concredita fuerunt, in id præclaro ſtudio incubuerint, ut auctores obſcœnos, cæteroqui eruditos, lectuque dignos, præcipue Poetas a ſordibus iſtis expurgarent, ſicque expurgatos ætati teneræ porrigerent, absque offenſione ac periculo innocentiæ legendos, inter quos laudandi ſunt in Germania noſtra Ven. Caniſius, Gretſerus, Pontanus,

(p) *Satyr.* 14. (q) *Lib.* 2. *de Remed. amor.*

tanus, &c. ſummi Viri in omni literatura. Dum contra nonnulli præſertim heterodoxi, libros ſcholæ uſibus deſtinatos non ſolum ſuis, ſed etiam orthodoxis impune venum exponunt, porcorum cimeliis refertos, ſine loco, ſine auctore, ſine cenſura, omnique turpitudinum ſupellectile inſtructos. Qualis ille fuit, quem honeſtiſſimi juvenis manibus & oculis olim ſubtraxi, ſcilicet Ovidius de Metamorphoſi, Tibulli, Catulli, Propertii verſibus velut paraphraſi ſordidiſſima conſpurcatus, ut absque horrore ac rubore etiam a grandævis vix quatuor lineæ legi poſſent. Non equidem me latet, curam hanc multis plus æquo ſcrupuloſam videri, credentibus optimum hac ratione ſuccum ſcriptis tam præclaris amœnisque ſubtrahi, & gemmas ſimul cum vitris abjici: *caſtis omnia caſta.* Sed audiant iſti, obſecro, quum rationi parum tribuant, graviſſimum ſcriptoris ethnici indicium, Ciceronis inquam: „ Videsne „ ait (r) Poetæ quid mali afferant? . . . „ ita ſunt dulces, ut non legantur modo, „ ſed etiam ediſcantur. Sic ad malam „ domeſticam diſciplinam vitamque um„ bratilem & delicatam quum acceſſe„ runt

(r) *Lib.* 1. *Tuſcul. Quæſt. Item Lib.* 1. *de nat. Deor.*

„ runt etiam Poetæ, nervos virtutis eli-
„ dunt. „ Idem Cicero alibi. „ Nec
„ multo abſurdiora ſunt ea, quæ Poeta-
„ rum vocibus facta, ipſa ſuavitate no-
„ cuerunt: qui & ira inflammatos, & li-
„ bidine furentes induxerunt Deos, fe-
„ ceruntque, ut eorum bella, pugnas,
„ prælia, vulnera videremus: odia præ-
„ terea, diſſidia, diſcordias, ortus, in-
„ teritus, querelas, lamentationes, ef-
„ fuſas in omni intemperantia libidi-
„ nes, adulteria, cum humano gene-
„ re concubitus, mortalesque ex immor-
„ talibus procreatos. Recte igitur a Pla-
„ tone educuntur ex ea civitate, quam
„ finxit ille, quum mores optimos &
„ optimum Reipublicæ ſtatum quæreret.
„„ At vero nos docti ſcilicet a Græcia,
„ hæc & a pueritia legimus, & didici-
„ mus, hanc eruditionem liberalem &
„ doctrinam putamus. „ Si vero S. Pa-
trem audire lubeat hac ipſa de re diſſe-
rentem, in promptu eſt Hipponenſis Præ-
ſul D. Auguſtinus, qui Poetarum abſcœ-
norum lectioni, etiam illi, qua eruditio quæritur, hanc dicam ſcribit: (r) „ In
„ quibus a me deliramentis atterebatur in-
„ genium . . . . . non omnino per hanc
„ turpitudinem verba iſta (ſcilicet lati-

(s) *Lib.* 1. *Confeſſ. Cap.* 16.

„ na) diſcuntur, ſed per hæc verba tur-
„ pitudo iſta confidentius perpetratur. „ Quod ſi quis etiam Viri, in omni literatura domeſtici, ævoque noſtro vicinioris judicium deſideret, Joannem Ludovicum Vivem audiat: obſcœna, inquit, in totum reſcindantur, tanquam emortua & pertractura in contagiem, quæ tetigerint. Scilicet intolerabilem faciet humanum genus jacturam, ſi ex ſpurco Poeta partem abſcindes noxiam, & id facias in libello, quod in tuo ipſius corpore facere non dubites, ſi res exigat. Amiſſa ſunt tot Philoſophorum & ſacrorum auctorum monumenta; id grave erit, ac non ferendum facinus, ſi Tibullus pereat, aut ars amandi Naſonis? ita ille.

X.

Ego non abs re facturum me exiſtimo, ſi multorum, etiam excellentium Poetarum ethnicorum fatuitatem pluribus perſtringam, non quod Juvenum animos ab eorum lectione velut a matris uberibus violenter velim abſtrahere, ſed ut reduviam curem, & illos juſtum ferre judicium mature doceam, ne cæco & ſæpe inſano, quemadmodum minus cauti quidam faciunt, amore illorum fabulas depereant. Profecto quocunque te ver-

tas

tas legendo figmenta Vatum iſtorum, nec mare nec ipſum quidem cœlum invenies liberum ab impuris amoribus. Si ſilvas intres, ſi montes conſcendas, ſi campos percurras, illic poſuere petulcos Deos ac Deas, quas Nymphas, quosque Satyros vocant, monſtra laſciviæ: ipſos flores, delicias hortorum, maculavere ſordibus Floræ, quam illorum Deam dicunt. Si per mare vela facias, occurret illico Jupiter Deorum ſupremus, in Taurum Europam rapientem turpiſſima metamorphoſi transmutatus, vehensque dorſo per fluctus juvenem puellam, ut fœdis cupiditatibus potiatur: ne quidem cœlum intueri quis poteſt, quin illic videat ampliſſimum flagitiorum omnium theatrum: Martem, Herculem, Junonem, Venerem, Mercurium, Saturnum, &c. inter ſtellas & mundi lumina collocatos reperies, omnes Deos, ſed nullum niſi ſceleribus infamem: Martem homicidiis, Herculem ſuo furore, Mercurium furtis, Saturnum crudelitate, quo ſuos aliorumque filios devoravit; Venerem denique publicam meretricem. Plerasque Nymphas mutant Poetæ in ſtellas, & coronant, quia virginitatem habuere venalem. Amabo, an non ipſa corrupta, & ad lapſum prona natura noſtra, cujus

cujus fomes intimis viſceribus oſſibusque inhæret, ſat multos ad carnis illecebras ſtimulos nobis ſuppeditat ? cur ergo præter hos etiam foris ſtudioſe inquirimus inſtrumenta, quibus ad luxuriam excitemur ? an non in nobis ipſis ignem libidinis circumferimus, ut quid ergo obſcœnorum lectione inſuper oleum affundimus ? Verum eſto, non contineantur in ejusmodi Poetis turpia facta aut imagines pudendæ, ſed amatoriæ duntaxat nugæ ac joci prætextati, auſim dicere, talia carmina vel poemata (idem eſto judicium de libris, quos *Romanos* vocamus) vix non prioribus eſſe magis noxios. Ubi enim flagitia ſeſe offerunt aperta fronte, quemvis qui non omnem honeſtatis ſenſum exuit, a ſe averruncant, ſuaque fœditate abſterrent. At ſi ingenioſos amantium ludos, ſomnia, ſtratagemata, & miros eventus fabulis implicatos narrant, legentes ſub honeſtæ voluptatis ſpecie attrahunt, ſenſim tamen animos juveniles emolliunt & enervant : primum admirationem cient, dein orexin ſapore ſuo excitant, demum libidinis faces accedunt, etiam dum extinguere velle videntur. Cuperem ego omnes, quotquot vel pennam vel oculos puerilibus hisce næniis indulgent, meminiſſe gra-

graviſſimi illius effati, quod poſteritati reliquit Æneas Sylvius, Vir in omni literarum genere eruditiſſimus, qui ad ſummum Apoſtolicæ dignitatis culmen evectus Pium II. nominari ſe voluit. Hic ſenſu ætateque adoleſcens carmen de Amore, quamvis modeſtiore quam cæteri avena, modulatus eſt; ſed hoc ipſum poſtea Senior & Pontifex damnavit ipſe his verbis: *Seni magis quam Juveni credite, nec privatum hominem pluris quam Pontificem facite: Æneam rejicite, Pium approbate.* Verum ut in orbitam redeamus, dixi non eſſe vitium hoc artis Poeticæ, ſed humanæ mentis, malarumque cupiditatum. Communiſſimus mos eſt, etiam apud Chriſtianos, Poetas caſtigatos legendi, interpretandique in ſcholis publicis, faciendique poemata, nec pauci Patrum lectionem eorundem commendant, præcipue S. Baſilius, qui quam utilitatem ad mores informandos hæc adferat, præclare nos docet exemplo Heſiodi, quando Vates iſte viam vitii conſitam floribus, deliciis plenam, totique tritam mundo, contra virtutis ſemitam aſperam, difficilem, præruptam amœniſſime deſcribit. Nimirum non eſt uſus tollendus propter abuſum, qui neſcio quo

fato

fato etiam rebus optimis ſeſe immiſcere conſuevit.

CAPUT II.

HISTORIA POESEOS TUM UNIVERSÆ, TUM SINGULARUM SPECIERUM.

§. I.

Prima lineamenta hujus artis.

IX.

Tenue ac obſcurum rerum etiam maximarum clariſſimarumque initium eſſe ſolet, quod flumina, Reſpublicæ ac Regna, artes & ſcientiæ omnes nos docent: atque hoc ipſum eſt, quod in Poeticæ ortu, primisque cunis obſervare licet. Certe Ariſtoteles ſagaciſſimus naturæ veſtigator (t) eam tum ex imitationis, tum ex harmoniæ ac rhythmi amore, tanquam e rudi principio prodiiſſe ſcribit: non minus Quinctilianus Poema imperi-

(t) *Princip. Poet.*

perito quodam initio effuſum, & aurium menſura, ſimulque decurrentium ſpatiorum obſervatione generatum fuiſſe prodit: mox in eo pedes eſſe repertos. Hæc ut rite intelligamus, opere pretium erit, exponere, quid in præſenti negotio imitationis, harmoniæ ac rhytmi nomine veniat. *Imitatio* eſt quædam viva repræſentatio rerum, quæ vel oculis vel auribus, vel menti objiciuntur; & quo propius hæc imitatio ad rerum iſtarum naturam, & veras ideas animo conceptas accedit, eo melior eſt atque perfectior, quemadmodum pictura, cui pridem Simonides Poeticam comparavit, picturam vocans *tacitam Poeſin*, & Poeſin *loquentem picturam*, quod ipſium Horatius advertit:

Ut pictura Poeſis erit.

Nec enim immerito picturæ nomen illi tribuitur, quoniam non ſecus ac in tabella, humanarum actionum effigies quasdam, rerumque ſimulacra oratione dulci exprimere, & ante oculos ſtatuere contendit. *Harmonia* vero eſt modulatio & concentus, ſive is ex cantu & voce animantium naſcatur, ſive ex ſonitu inſtrumentorum muſicorum. *Rhytmus* denique fit ordine & collocatione verborum

ita

ita conjunctorum, aut deſinentium, ut voces etiam ſine cantu ac tantummodo pronunciatæ ſymphoniam, ut ita dicam, reddant, & delectabili jucundaque ſui perceptione audientium aures feriant. Ex his jam patet abſtruſus cæteroqui ſenſus ſententiæ Ariſtotelicæ, dum ex imitationis, harmoniæ ac rhythmi amore natam eſſe Poeſin docet. Hæc enim rerum omnium format & exprimit vivam imaginem, affectus diverſiſſimos inducit, & quidem non ſoluta oratione, ſed ligata & veluti ad modulos muſicos compoſita, eoque verborum ordine, qui concentum in auribus reddat longe jucundiſſimum. Amplius quid dicam, ut e Philoſophi verbis originem Poeſeos clarius ante oculos ponam. Primo quidem populi (parum intereſt modo, fuerint Hebræi, aut Græci, aliive) populi inquam dum ſacrificia, convivia, nuptias, victorias aliaque tripudia vel publico in cœtu, vel inter privatos parietes celebrabant, tibiis aut fidibus utebantur non ſine rudi quadam, nec ſatis adhuc conſtricta legibus harmonia : tum vocem quoque ac cantum ſono tibiæ vel citharæ jungentes dictionum ac pedum ordinem aliquem ſtructuramque adhibuerunt, ita ut æquabili temporis ſpatio verſiculi decurrerent, aut etiam

etiam ſimili terminatione plures, certe duo, abſolverentur, grata quadam ſonoraque in auribus relicta illecebra; quod carminis genus rhythmum dixere. Nulla vero, vel perexigua tunc temporis cura ſyllabarum fuit, longæne forent, aut breves: ſatis erat, brevem illam orationem ita conſtruere, ut alicujus pedum numeri atque menſuræ ratio haberetur, modo aliquid modulationis ac concentus aurium indicio in ſe contineret. Neque etiam in pangendis brevibus his, quas dixi, orationibus, quasque verſus apellarunt, multa longaque meditatio adhibebatur, ſed inter tibiæ lyræque ſonitus veluti ſponte naſcebantur, vi ingenii obſtetricem agente; unde verſuum ejusmodi rhythmicorum auctores cantoresque, uti primo ſtatim Capite §. I. dictum eſt, homines divino quodam furore correpti, ac œſtro perciti credebantur. Hæc prima Poeticæ lineamenta fuere.

XII.

Succeſſit melior ætas, quæ rudi maſſæ culturam adhibuit. Quippe quum uſus doceret, quantum delectationis in auſcultantium aures animosque inde flueret, circumſpexere Viri docti leges aliquas, quibus vaga Poeſis hæc, & ver-

ſus fundendi licentia certos intra limites contineretur, cœperuntque caſtigatiorem pedum menſuram invehere in Parnaſſum, præſcripta ſyllabarum brevitate longitudineque, & hac ratione rem primo imperfectam multo labore ſudoreque ingenii demum perfecerunt. Ita factum, ut *Rhythmo* ſuccederet *Metrum*, quo nomine ſignificatur oratio ligata arctis omnino legibus, queis certus pedum numerus, & in pedibus ſyllabarum ratio ad temporis longi ſeu brevis menſuram exacta definitur, quod pridem notavit Quinctilianus, (u) dum ait: *Longam ſyllabam eſſe duorum temporum, brevem unius, etiam pueri ſciunt.* Ab hoc autem tempore Rhythmus, quamvis origine antiquitateque ſua vinceret metrum, in plebeium ac ignobile carmen degeneravit, & ad Ruſticos tranſiit, qui meſſe peracta, dum genio litabant, alterni ſeſe conviciis provocarunt verſuum rhythmicorum ope, quos Feſcenninos appellabant, teſte Horatio (x)

Feſcennina per hunc inventa licentia morem
Verſibus alternis opprobria Ruſtica fudit.

Metri-

(u) *Inſtit. Orat. Lib. 9. cap. 4.* (x) *Lib. 1. Epiſt. 1.*

Metricam vero Poeſin ſibi propriam fecerunt, ac civitate donarunt Viri docti ac literis probe exculti. Non tamen omnino etiam apud hos exolevit Rhythmicæ uſus; nam inclinante Imperio ſub Auguſtis Chriſtianis, multoque magis ſub barbaris Regibus rhythmici verſus fere ubique, præſertim inter Monachos perſonabant, quibus non jam amplius conviciandi libido & ſatyrica dicacitas, ſed laus & honor Dei atque Sanctorum, aliorumque inter vivos degentium materiem præbuit: quum enim medio ævo ſub ignorantiæ jugo paſſim gemeret Italia Germaniaque, pauci erant, qui vel proſodiæ operam dabant, vel ad artis hujus regulas carmina ſua exigebant, rati faciliore negotio, & levioribus impenſis rhythmum fundi, non tam ſeveris legibus circumſcriptum; quamvis fateri oporteat, illa etiam, quin ſingula ſecula Poetas metricis pedibus incedentes oſtentare potuiſſe, quorum hæreditas ad noſtra uſque tempora pervenit.

§. III.

Primi Parentes Poeticæ.

XIII.

Poſt inveſtigatas artis hujus cunas dum primos parentes in conſpectum adducere ſatago, multa ſane commentis, plura admodum incertis teſtimoniis permiſta invenio: Juvat hæc præmittere, ut eo facilius ſtrata veluti ſemita in veritatis adyta penetremus. Ut nihil dicam de Apolline Muſarum Præſide, deque ipſis Muſis Poetarum Amaſiis, de Parnaſſo fœcundiſſima fabularum patria; ſi Iſidoro (y) & Gregorio Gyraldo (z) credimus, tam apud Græcos quam Latinos longe antiquior cura fuit carminis quam proſæ: omnia enim prius verſibus condebantur: proſæ autem ſeu orationis ſolutæ ſtudium ſero viguit. Hujus parentes nominant Cadmum Mileſium, & Argivum Acuſilaum, Pherecyden Syrum, & Appium Cœcum: ligatæ vero Orpheum, Amphionem, Muſæum & Homerum. De *Orpheo* nota eſt fabula, quod lyra ab Apolline patre accepta tantum valuerit, ut illius cantu ſylvas & ſaxa ſede ſua moverit, fluviorum curſum ſtiterit, ferasque

(y) *Lib. Etymol.* (z) *Hiſt. Poet. Dial.* 1.

que reddiderit mitiores. Pari modo *Amphionem* Mercurii filium fingunt cithara ſua adeo dulciter luſiſſe, voceque tam ſuavi, ut ad ſtruendos ipſos muros Thebanos ipſa quoque ſaxa e vicinis montibus attraxerit, quaſi ſponte in grande hoc opus coeuntia: quin etiam in aqua delphinos modulationis ſuæ habuiſſe auditores, admiratoresque; cui commento anſam præbuit peritia Poeſeos in utroque maxima, quum divinis ſuis carminibus rudes & ruſticos homines a fera agreſtique vita ad humanum civilemque cultum pellexere, moresque ac leges conſtitutis civitatibus dederunt. Hos inſecuti ſunt alii, diverſorum carminum inventores, quos longo ordine, neſcio an æquali fide, recenſent Scriptores antiqui. *Pierus* Macedo, qui primus & poema feciſſe, filiasque quibus Muſarum nomina indiderat, in verſibus pangendis informaſſe fertur, a nonnullis Muſarum Pater fuiſſe creditus eſt, (a) licet Ovidius in ſua metamorphoſi memoret novem Pieri filias fuiſſe auſas ad certamen poeticum provocare Muſas, ſed ab his in picas eſſe mutatas. Certe Poetis *Pierides Muſæ* dicuntur. Alii *Cleonam* tradunt primum fuiſſe, qui ad tibiæ regulas & concentum epicum ſeu heroicum poema

(a) *Scaliger Lib.* 1. *Poet.*

conſtituerit, *Terpandrum* vero ad citharæ leges elegum carmen; quamvis ſint, qui poſterius hoc *Naxio* cuidam *Theocli* furenti adjudicent. Res eſt ſatis dubia, ſi Horatio fidem adſtruimus, dum ait in arte Poetica :

Quis tamen exiguos elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Thalia comœdias *Melpomene* Tragœdias primo partu effudit : *Dithyrambus* Thebanus verſus, quos conſtruxit, nomine ſuo inſignavit, nempe Dithyrambicos : *Daphnis* paſtor carmen Bucolicum. *Methymnæum* tragici carminis auctorem chorum inſtituiſſe, *Pratinam* vero *Phliaſium* ſatyras primum declamaſſe ſcribit Suidas. Communi autem nomine omnes Poetæ Lyrici dicebantur, quod ad lyram eorum carmina concinerentur : princeps tamen hoc in genere *Pindarus* fuiſſe creditur teſte Cœlio. (b)

XIV.

Verum hæc omnia ſubleſtæ fidei ſunt Alii originem Poeticæ derivant ex Hebræis fontibus. Hebræos enim ante Græcos

(b) *Lib. 7. antiq. lect. Cap. 7.*

cos Poetas floruiſſe non pauci veterum ac gravium ſcriptorum contendunt cum Euſebio. (c) Ajunt hi Moſen magnum Iſraelitarum Ducem, quum eos ex Ægypto in terram melle ac lacte manantem duceret, ſtatim atque mare rubrum ſicco pede trajecerat, divino afflatum numine hexametrum carmen (quod nos heroicum vocamus) quo Soſpitatori Deo grates ageret, primum edidiſſe: (d) ſiluiſſe tum quidem aliquantiſper ſacram poeſin, Ducibus recenſendo populo, ferendis legibus, debellandisque hoſtibus potiſſimum intentis, uſque ad *Jobi* & *Davidis* tempora, quibus os aperuit & palam reſonare audita eſt. Quippe Jobi librum (quiscunque illius auctor eſt) non ſoluta oratione, ſed carmine hexametro dactylo numeris & ſonis eleganter diſtincto conſcriptum fuiſſe autumant, cujus præcipua laus & decor verſatur in phraſium energia, in cognitionum ſublimitate, in motuum vigore, in deſcriptionum proprietate ac varietate dictionis. David autem Poetam vere Entheum diverſo carminis genere pſalmos ſuos illuſtraſſe, varioque metro hymnos concinnaſſe: memoratu dignum eſſe, quod idem Euſebius refert,

(c) *Euſeb. l.* 11. *de Præpar. Evang.*
(d) *Exod.* 15.

nimirum dum Pſaltem hunc Regium exhibet in choro ſacrorum Pſalmiſtarum, ſcilicet filiorum Core, modulos cum illis alternantem, afflante ſingulos Spiritu ſancto; qui quum aliquem invaderet, ille ſilentibus reliquis cantiones, *Alleluja* grandi voce inſonans claudebat: Non minorem patre *Salomonem* in vineis Engaddæ, dum nuptias cum filia Regis Ægypti celebravit, pulcherrimum illud epithalamium, ſeu *Canticum Canticorum*, in morem dramatis ceciniſſe, quo nihil ſuavius Hebræorum lingua prædicat, nihil ſanctius allegorica interpretatio docet: Quod ad Prophetas adtinet, e quibus *Jeremiam* threnos conſcripſiſſe aſſerunt quatuor integris literarum ordinibus, quorum primus & ſecundus quaſi ſapphico metro, tertius trimetro, quartus primo & ſecundo ſimilis eſſe videtur: *Iſaiam* vero propheticos ſermones ſuos ſacris verſibus condidiſſe, quibus nihil jucundius eſſe D. Hieronymus teſtis eſt: Idem eſſe judicium de cæteris Prophetis. His qui ita ſentiunt, ſuffragantur Joſephus, Origenes, Hieronymus. Verum res hæc a Criticis hujus ſeculi plane in dubium vocatur; quin aperte ſatis negatur, uti in Auguſtini Calmet Diſſertatione de Poeſi veteri Hebræorum eſt videre. Rectene,

an

an Criticorum more ſplendidius quam verius, heic non diſputo, plura dicturus in libro de Re Antiquaria, ubi de Hebræorum artibus atque ſcientiis agetur. Duo interim ex his, quæ hactenus in medium attuli, colligere fas eſto: Primum quidem, quod Poeticæ artis initium aliquod Hebræis acceptum referre liceat, quemadmodum & reliquarum fere omnium diſciplinarum. Graviſſimum hac de re judicium eſt eruditiſſimi Poſſevini: hic certiſſimum eſſe aſſerit, tantum abeſſe, ut ea, quæ Regius Propheta aliique ad Dei laudes & gloriam carmina ſcripſerunt, vera Poeſeos forma deſtituantur pro ratione rerum, quas ſcribendas ſuſceperant, ut reliqua poemata, quæ tantum ex fabuloſis involucris conſtant, fabulæ potius ſint dicendæ, quam poemata; ſiquidem propter hujusmodi carminum genus illud in multorum ore proverbium viguit: *Poetas multa mentiri*, fatente ipſo Ariſtotele. (e) Alterum, quod carminum, quibus rhythmos, metra, hymnos, &c. complector, uſus primo ad Dei laudes celebrandas inoleverit, & in ſacris faciendis potiſſimum adhibitus fuerit, cujus rei rationem reddit magnus Dionyſius, *Divinam*, inquiens,

(e) *In* 1. *Lib. Metaphyſ.*

Theologiam poeticis plurimum figmentis uti ſolitam, ad divinos cœleſtesque Spiritus deſcribendos: non enim niſi divina ſermonis facultate divina ipſa nomina & Spiritus deſcribi queunt. Hunc poſtea morem ethnici ad profana ſua Numina & nefandas aras, diesque feſtos ſacrilego furto tranſtulerunt. Ita Romæ ante Ennium & Andronicum in Deorum ſacris rem geſtam eſſe legimus, adhibitis cantoribus, qui *Saliarii*, *Saturnii*, *Minervii*, *Junonii*, *&c.* dicebantur, nomine derivato a Diis, atque Deabus, quibus litabant; qua in re excelluit Numa Pompilius, religioſiſſimus ille Romanorum Rex, qui verſibus de Diis Deorumque cultu conditis, iisque in publicis ſacris ac ludis rite decantatis ferociſſimam gentem, quod aſſiduus egerat, ad morum humanitatem, Deorumque cultum traduxit.

§. III.

Progreſſio Poeticæ.

XV.

Primo labore defunctus (qui plerumque eo moleſtior eſſe ſolet, quando in primordia cujusdam artis & ſcientiæ inquiritur, quo iſta remotiora ſunt a tempori-

poribus noſtris) ad felices Poeticæ progreſſus in ſingulis ejusdem ſpeciebus palam faciendos progredior. Et quidem prima Epopiæ ſeu carminis Heroici fundamenta poſuerunt tum ſacri Poetæ, ut audivimus, Moſes, David, Job, Iſaias, & Prophetæ, dum Dei veri laudes & opera magnifica celebrarunt; tum profani, quemadmodum Orpheus, Amphion, Linus & Muſæus, falſorum Numinum geſtis & votis canendis intenti. At Pierus & Cleon ad ſemi-Deos ſeu Heroes honorandos, & ad ſidera uſque extollendos eam transferendo integri cujusdam poematis formam conſtruere cæperunt, quamquam & ipſi rudibus adhuc initiis. Poſt hos Homero inter Græcos, & Virgilio inter Latinos merito tribuendus honos eſt carminis epici ſeu heroici ad perfectionis culmen evecti. Fuerunt equidem, qui verſibus hexametris, quibus Epopeia incedit, poemata compoſuerunt, uti Muſæus de amoribus tragicis: Heſiodus, Nicander & Virgilius de rebus Ruſticis: Oppianus de venatu & piſcatu: Aratus & Manilius de Aſtronomicis: Theocritus, Dion, & rurſus Maro de vita paſtorum: Horatius, Perſius, Juvenalis Lucilius, de hominum moribus: quin & Epiſtolæ hexametris conſcriptæ fue-

fuerunt ab Horatio, & Epigrammata a Martiali, & Epithalamia ac Genetliaca ab aliis. Hi tamen omnes propterea in Epicorum Poetarum numerum venire haud poſſunt, quum quodvis quidem carmen Epicum hexametrum ſit, ſeu verſibus hexametris conſtet, non tamen idcirco Epicum & Heroicum adpellari poſſit, quoniam ad hoc omnino neceſſum eſt, ut Virorum fortium & inclytorum facinora, & res geſtæ grandes cum majeſtate dignitateque memorentur. Atque hinc non pauci finiunt cum Pontano noſtro, quod ſit *Poeſis carmine hexametro illuſtres illuſtrium actiones per narrationem imitans.* Homerus itaque Epicorum Princeps, quem in Jonia, Aſiæ Minoris regione natum fuiſſe, ac centeſimo circiter poſt bellum Trojanum anno ſcripſiſſe tradunt, duo numeris omnibus abſoluta poemata poſteritati reliquit, quorum uni nomen *Ilias*, alteri *Odyſſea* impoſuit. Primi argumentum breviſſime complectitur Franc. le Jay S. J. *in ſua Poetica* his verbis: „ Achil-„ les Vir inter cæteros Græciæ Principes „ eximia fortitudine ſpectatiſſimus, iniquius „ dolens raptam ſibi fuiſſe Briſeidem ab „ exercitus Imperatore Agamemnone, qui „ reſtituendam eſſe eandem non ſine gra-„ vi contemptu negaverat, bello, & ar-„ mis

„ mis abſtinuit. Eo abſente res Græco-
„ rum retro fluere, Trojanorum convale-
„ ſcere cæperunt. Interim Achilles nul-
„ lis amicorum precibus inflecti, nullis
„ ipſius Agamemnonis promiſſis ac præ-
„ miis emoliri potuit. Patroclus, qui
„ erat illi amiciſſimus, congreſſus cum
„ Hectore hoſtium Duce ab eodem inter-
„ ficitur. Amici nece graviter commo-
„ tus Achilles redit cum Agamemnone
„ in gratiam; & Patrocli ulciſcendi cu-
„ pidus reſumptis armis hoſtes adoritur,
„ quos variis in præliis cum afflixiſſet,
„ Hectorem hoſtium Ducem, quo niteba-
„ tur Trojanorum ſalus, occidit. „ Hanc
Iliadem tanta exiſtimatione complexus
eſt Alexander Macedo, ut ſemper eam
ſecum circumtulerit, noctuque eidem in-
dormierit; quumque Achillis tumulum
inviſeret, felicem illum prædicavit, qui
tantum nactus eſſet geſtorum ſuorum præ-
conem, Homerum nempe. Secundi ve-
ro operis ſeu Odyſſeæ epitomen tradit
idem Auctor, quæ ſequitur: „ Ulyſſes
„ Rex Ithacæ poſt navatam excidio Tro-
„ jano feliciter operam, cum reditum in
„ patriam moliretur, per decem annos
„ multis actus tempeſtatibus ac periculis
„ claſſem & ſocios miſere perdidit. Inte-
„ rim non tantum illi res domeſticæ de-

„ coque-

„ coquebantur a Procis, qui Penelopes „ ejus conjugis nuptias ambiebant, ſed „ etiam Telemachus ejus filius eorundem „ inſidiis petebatur. Is vero reparata „ claſſe tandem Ithacæ redditus, Procos „ per inſidias adoritur & interficit, rem- „ que domeſticam & familiam incolumem „ recipit. „

Homerum inter Græcos Epicos ſecutus eſt, licet non paſſibus æquis Heſiodus Cumis in Æolide, vel ut aliis placet Aſcræ in Boetia natus, ejusdem cum Homero ævi. Tres ſunt, quos reliquit, Poematum libri: Primus agit de Prometheo, Minerva, humani generis origine, ac quatuor mundi ætatibus: alter de generatione Deorum, continens Mythologiam: tertius de ſcuto Herculis. His majorem ab elegantia & nitore dictionis Poeticæ, quam ab artificio laudem retulit. Inter Latinos eminuit toto velut humero Publ. Virgilius Maro, oriundus ex agro Mantuano, primo Conſulatu Pompeji & Craſſi, floruitque imperante Auguſto, cujus laus ſumma eſt, quod fuerit Latinus Homerus. Præter Bucolica & Georgica ſcripſit Æneidem, cujus argumentum denuo in brevem ſynopſim redegit le Jay: „ Æneas, incenſa a Græ- „ cis Troja cum triſtibus tanti populi re- „ liquiis,

„ liquiis, ſuisque Diis Penatibus mare „ conſcendit, novum ſuperis monentibus „ in Italia, ex qua Majores ſui ortum „ duxerant, regnum fundaturus. Poſt „ varios terra marique labores ſuperatos „ ad oram Italicam appulſus humaniter a „ Latino, qui tum imperabat Latio, ex- „ cipitur, & in generum adſciſcitur. Ve- „ rum id ægre ferente Turno Rutulorum „ Rege, qui nuptias illas jam pridem „ ambiebat, grave inter Rivales bellum „ exarſit. Pugnatum eſt ſæpe & atroci- „ ter. Tandem interfecto Turno Æneas „ victor Lavinia & regno potitur.„ Hæc omnia Virgilius duodecim libris complexus eſt. Undecim annos impendit huic poemati condendo, totidem impenſurus ei corrigendo, ſi non fata obſtitiſſent, juſſitque teſtamento, illud tradi Vulcano; ſed Auguſtus flammis eripuit ac corrigendi negotium dedit Varroni & Tuccæ. Virgilium ætate, ſed non arte ac laude præceſſit Lucretius, ſex libris de rerum natura, & mundi fabrica facili verſu ac eruditione plurima editis: optime quidem meritus de Poeſi, peſſime tamen de Dei providentia, quam negavit, & e rerum natura omnem ſuſtuliſſe viſus eſt. Secuti ſunt hunc & Virgilium M. Annæus Lucanus, Cordubæ natus, Ne-

pos

pos Senecæ Philoſophi. Hic poema lucubravit, quod *Pharſalica* inſcripſit, quoque bellum civile Cæſaris decem libris complexus eſt. Vehemens ſpiritus, & grandis Poetica in eo eminet, ſed frœni tam impatiens, quam indiga. Papinius Statius, Neapolitanus, trium poematum auctor: quorum primum *Thebaidos*, ſecundum *Achilleis*, tertium *Sylvarum* titulum præfert: maris turbati fluctibus ſimiles eſſe videntur ejus verſus, dum ſæpe mirum quantum intumeſcunt, mox vero ſubſidunt, & humi repunt. Silius Italicus, ſeu Italica Hiſpaniæ civitate oriundus, vixit Veſpaſiani & Neronis temporibus: epico metro alterum bellum Punicum cecinit, quum faſces Romæ conſulares geſſiſſet. De hoc bello ſeptemdecim libros elucubravit majore cura, ut inquit Plinius, quam ingenio. Valerius Flaccus natus in urbe Campaniæ Setia, quem Quinctilianus amiſſum dolet ante tempus, quum poema ſuum de Argonautica expeditione ad limam vocare ac expolire ipſi non licuerit. Exceſſit enim narratione limites juſtæ actionis, & ſtylo modum carminis epici. Cl. Claudianus Ægyptius ex urbe Alexandria: hic in Stiliconis laudes effuſus uti verſuum numeris placet, ita iisdem ſæpius quam par

eſt

recurrentibus faſtidium creat. Cætera fateri oportet, quod egregia ad Poeſin indole inſtructus fuerit, hoc ſolo infelix, quod pangendis carminibus non meliorem nactus ſit materiem: meruit tamen ab Auguſtis Arcadio & Honorio ſtatuam in foro Romano cum hac inſcriptione poſitam:

TRIBUNUS. NOTARIUS. INTER. CÆTERAS. INGENTES. ARTES. PRÆGLORIOSISSIMUS. POETARUM.

Ab Epico Carmine ad Tragicum divertere juvat. Eſt autem tragicum carmen, quod in Tragœdia adhiberi ſolet, de cujus origine varia eſt variorum opinio. Sunt enim, qui referunt, Agricolas priſcos poſt collectas annuas fruges, potiſſimum vindemiæ, ut Deo Baccho gratos ſe ſiſterent, ad ſacrificium conveniſſe, in quo hircum, utpote vinearum hoſtem & propriam Baccho victimam, inter choros & cantus aſperos & inconditos immolabant: atque inde nomen quoque Tragœdiæ derivant, ſcilicet a τράγος, quæ vox hircum, & ᾠδή, quæ cantum ſignificat. Alii vero exiſtimant, in hujusmodi Bac-

chi ſacrificiis primum res ab eo geſtas, ac triumphos, devictasque gentes & debellatos Reges, poſtmodum vero non ſuppeditante materia aliorum quoque Regum infortunia ærumnasque fuiſſe cantu celebratas, ita ut qui in hujuſcemodi cantilenis victor exiſteret, hircum in præmium obtineret, id quod Horatius innuere videtur hoc verſiculo:

Carmine qui tragico vilem certavit
ob hircum.

Alii demum παρὰ τῶν τρυγῶν ſeu a fæcibus, quibus hiſtriones ante perſonarum & larvarum uſum, ne agnoſcerentur, non ſine terrore ſpectantium ora perlinere conſueverant auctore quodam Theſpide, Tragœdiæ nomen & ortum deducunt canente eodem Horatio:

Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe Poemata Theſpis,
Quæ canerent agerentque peruncti fæcibus ora.

Fortaſſis omnia hæc ſimul juncta veram tragœdiæ originem palam faciunt, quod e Tibulli carmine colligi videtur:

Agri-

Agricola & minio ſuffuſus, *Bacche*, *recenti*
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus e pleno memorabile munus ovili,
Dux hircus *pecoris; duxerat Hircus oves.*

Cæterum rudia, ut ſieri ſolet, Tragœdiæ initia fuerunt. Primum enim nonniſi choro circumſcripta fuit, quem ſubito impetu profuſis cantibus Actores inſtruxerunt. Huic poſtea Theſpis Athenienſis hiſtrionem ſuperinduxit, qui variis corporis geſtibus, & incultis carminibus chorum tantiſper quieſcentem interpolaret. Qui Theſpidem ſecutus eſt Æſchylus novam Tragœdiæ faciem dedit, dum Hiſtrioni, qui antea ſolus regebat ſcenam, ſocium actionis adjunxit, pulpita erexit, e quibus Actores melius videri, ac facilius audiri poſſent, ſublimius dicendi genus invexit, & veſtes Perſonis digniores adaptavit, quæ omnia patent ex illis Horatii verſibus:

Poſt hunc Perſonæ, pallæque repertor honeſtæ
Æſchylus, & modicis inſtravit pulpita tignis,

Et docuit magnumque loqui, nitique cothurno.

Ultimam denique manum impoſuerunt Tragœdiæ ad voluptatem exornandæ Sophocles & Euripides. Nam inter plures eam Actores partiti ſunt, certisque partibus, quas *Actus* vocant, diſtinxere: præterea docuerunt per varias ambages & gratos errores ſuſpenſum Auditoris & Spectatoris animum circumducere, donec ad exitum minime exſpectatum ſubito perveniret. Denique ſublimem ac ciendis affectibus aptiſſimam dictionis gratiam illi conciliarunt, Jambum præſertim Senarium conſtituendo, uti teſtatur Horatius:

Hunc ſocci cœpere pedem, grandesque cothurni.

Natus eſt autem Sophocles Athenis Olympiade 71. quem Tullius Poetam divinum adpellat, & Virgilius cæteris Poetis Tragicis videtur anteferre. Reliquit Tragœdias ſeptem, quarum tituli: *Ajax Flagellifer*, *Electra*, *Oedipus Tyrannus*, *Antigone*, *Oedipus Colonæus*, *Trachiniæ*, *Philoctetes*. Euripides, quem Ariſtoteles tragicæ artis ſcientiſſimum vocat, Quinctilianus ſolertiſſimum in ciendis teneris affecti-

fectibus, Cicero in ſententiis graviſſimum, Salamine primam lucem aſpexit Olympiade 75. Exſtant novendecim ejus Tragœdiæ: *Hecuba*, *Oreſtes*, *Hippolytus*, *Helena*, *Hercules furens*, &c. Hæc de Tragicis Poetis Græcis. At de Latinis præter fragmenta quædam Livii Andronici, Ennii, Pacuvii, Accii ac Nævii, quorum Cicero aliique paſſim meminerunt, ſolius Lucii Annæi Senecæ Cordubenſis ſuperſunt Tragœdiæ, quarum decem numerantur; ſed tres duntaxat reliquis illuſtriores, ſcilicet *Medea*, *Hippolytus*, & *Troades* huic Auctori tribuuntur: cæteræ aliis hujus familiæ ac nominis Scriptoribus. Carminis majeſtatem in Tragœdo iſto multum commendat Julius Scaliger: at Voſſius aliique vix ulla Dramaticæ artis veſtigia in eo deprehendi queruntur.

Tragœdiæ affinis eſt Comœdia, dicta a voce græca *κωμῳδεῖν*, ſeu *Como* (commeſſationis Deo) *digna canere*. Huic enim ob frugum uberem proventum in lætitiæ ac grati animi ſignum primo quidem agreſtes homines ſacra faciebant tum circa ipſius aram, tum circa vicos pagosque chorum cum cantibus feſtivis ducentes. Equidem rudis erat, & inculta hæc,

quam vocabant, Comœdia, innoxia tamen & talis, quæ captando riſui potius ſerviebat. Verum paullo poſt, ut fieri adſolet inter homines bene paſtos & potos, mutuis ſe aliosque conviciis onerare cœperunt: neque hoc contenti ſub noctem civitates ingrediebantur, & jocoſis æque ac mordacibus cantilenis civium potentiorum ac ditiorum mores ac vitam carpebant. Placuit ludicrum hoc obſequium tum vulgo (Nobilitati ac Primoribus ſemper minus æquo) tum Magiſtratibus, quum animadverterent, ſic multos a maleficiis ob infamiæ publicæ metum deterreri. Unde facta poteſtas eſt, id etiam interdiu impune faciendi, compoſitis hunc in finem carminibus. Ita paullatim crevit negotium iſtud, nactique commodam occaſionem Poetæ Comœdias ſcribere cœperunt, in quibus haud diſſimulanter & nominatim improborum civium mores omni genere dictorum contumeliarumque quam liberaliſſime proſcinderent, animante audaciam plauſu populi. Atque hæc vetus Comœdiæ ætas fuit. Quippe in tres eam ætates dividunt ſcriptores, in Veterem, Mediam, & Novam. De Veteri, quam primum antea deſcripſi, cujusque Principes erant Horatio teſte Eupolis, Cratinus, & Ariſtophanes, cla-

clariſſimum exſtat Ciceronis teſtimonium: „ Quem illa non attigit? quem non ve„xavit? cui pepercit? Eſto: populares „homines, improbos, in Rempublicam „editioſos, Cleonem, Cleophantem, Hy„perbolum læſit: patiamur. Etſi hujus„modi cives a Cenſoribus melius eſt, „quam a Poeta notari. Sed Periclem, „cum jam ſuæ civitati maxima auctori„tate plurimos annos domi & belli præ„fuiſſet, violari verſibus, & eos agi in „ſcena, non plus decuit, quam ſi Plau„tus noſter voluiſſet aut Nævius P. & „Cn. Scipioni, aut Cæcilius Marco Ca„toni maledicere. „ Quapropter invaleſcente indies Poetarum inſolenti licentia, & eorum, qui læſi fuerant, graviſſima querimonia, ubi poteſtas regiminis ad Archontas translata fuit, repreſſa eſt veteris Comœdiæ violentia, ſublatoque choro, quem potiſſimum male dicendi libido regebat, ſancita lex fuit, ne quis Comicorum vitæ ac famæ alterius in ſcena detraheret, integrumque erat illis, qui ſcenæ injuria afficiebantur, afficientes in jus vocare, ſtatuta quoque in hos fuſtuarii pœna. Rem totam Horatius paucis verſibus refert:

Succeſſit vetus his * *Comœdia, non ſine multa*
Laude, ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi: lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obticuit, ſublato jure nocendi.

Quin etiam lex
Poenaque lata, malo quo nollet carmine quemquam
Deſcribi: vertere modum formidine fuſtis.

Hac ratione ſucceſſit veteri media ætati Comœdiæ, longe priori modeſtior, in qua licet Poetarum ſcripta & dicta absque maleficii crimine, & civium vitia univerſim perſtingere nefas haud foret, nominibus tamen parcendum erat, & calumniis abſtinendum: vel ſi etiam unus aut alter reprehenſioni locum daret, modeſte ac verecunde, atque alieno ſub nomine id fiebat. Hoc in genere magnum ſibi nomen Athenis pepererunt Philibeus, Stephanus, & alius Plato Comicus. Sed quum ne ſic quidem omnis aculeus theatro excederet, ad tertiam ætatem ſeu Comœdiam novam proceſſum eſt, in qua ads-

* Scilicet primis agreſtium cantibus.

absque crimine ſingularis notæ duntaxat vitæ communis vitia non ſine riſu, magnoque cum lepore caſtigata fuerunt, fructu etiam ad virtutes illis oppoſitas implantandas ſeſe porrigente. In hoc genere Menander inter cæteros eminuit: idque Romani e Græcia in urbem translatum fuerunt amplexati. Hi autem variis Comœdias ſuas nominibus diſtinxere: aliam vocabant *Palliatam* a pallio, quo ſupra tunicam amicti incedebant Græci: hujus & argumentum erat e Græcia petitum, & hiſtriones ſeu Actores ad Græcum morem palliati prodibant in theatrum. Aliam *Togatam* a veſtitu Romanis proprio, utpote qui toga, quemadmodum Græci pallio, utebantar: iſtius argumentum erat e Romanis rebus & moribus deſumtum. Fuerunt & aliæ, quas dicebant *Præſentatas*, *Trabeatas*, *Motarias*, *Statuarias*, *Mixtas*, *&c.* vel argumento, vel dictione, vel geſtibus & habitu inter ſe diverſæ. E Græcis Comicis memorandi veniunt Ariſtophanes, qui vixit tempore Socratis, & *cum riſu mordax eſt*, ait Scaliger, *atque ſubſannando inſignis.* Menander novæ Comœdiæ princeps, natus ſub Alexandro M. de quo Quinctilianus pronunciavit, eum qui Menandrum habet, cæteris in eo genere Poetarum

ſcriptis carere poſſe. Philemon, qui floruit regnante Antigono, & nimio riſu periiſſe dicitur: hic ejusdem Quinctiliani judicio, conſenſu omnium meruit credi ſecundus a Menandro. Inter Latinos reliquis palmam præripuerunt Marcus Accius Plautus, & Publius Terentius. Prior genere Umber, patria Sarſinas, ſcripſit plures Comœdias, quarum ſuperſunt viginti. Vividum ei ingenium ac fertile, jocandi genus elegans, urbanum ac facetum; non deſunt tamen paſſim frigidi & infaceti ſales, & obſoleta verba poſtliminio revocata cum adfectatione. propter quæ ab ipſo Horatio aliisque reprehenditur; interdiu molendinis verſandis operam dediſſe fertur, ut haberet, unde viveret: noctu fabulas ſuas lucubraſſe. Poſterior Carthaginenſis, ſervus Romæ libertate donatus. In hoc tria potiſſimum commendant Scriptores; ſingularem quæ ubique elucet artem, mirabilem in imitandis exprimendisque omnis conditionis hominum moribus facilitatem, & ſermonis latini lepores ſelectiſſimos. Reliquit Comœdias ſex, *Andriam*, *Hecyram*, *Heautontimorumenon*, *Phormionem*, *Eunuchum*, & *Adelphos*; plures naufragio perierunt, e quo vix Auctor ipſe evaſit.

Ut pau-

Ut paucis aliorum quoque Poematum initia & progreſſus exhibeam, de carminis Elegiaci primordiis inveniendis tanta difficultas haud eſt, quanta in auctore illius reperiundo. Satis enim exploratum habemus, Elegiam primum funeribus fletu & luctu proſequendis fuiſſe adhibitam. Ita Ovidius Tibulli mortem deplorans canit:

Flebilis indignos Elegeia ſolve capillos:
Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

Elegia ſiquidem ab ἐλεέω ſeu *miſereor* dicta eſt, ipſaque nomenclatura flebile quid ac commiſerationi ciendæ aptum præſefert; unde apud Ovidium Elegiæ epithetum *Flebilis*, & apud Horatium ejusdem verſibus *Miſerabiles Elegi*, velut propróprius character adhæret. Ita etiam Veteres Elegiam nunc *Nœniam* adpellarunt ab extremo lugubri carmine, quo ſonante defunctorum pios manes ad tumulum usque comitabantur: nunc *Epicedium* a triſtibus funerum ritibus & exequiis: modo etiam *Epitaphium* a verſibus mœrore plenis, qui mortuorum tumulo & ſepulchrali lapidi inſcribebantur. Fortaſſis inde originem duxit Pentameter verſus, uno pede brevior hexametro, ac ſi car-

ſi carmen ipſum præ dolore ac triſtitia identidem velut animo concideret, ac deliquium pateretur. Non diu tamen ſolis mortuorum inferiis adſtitit Poema hoc: ad alios quoque triſtes fortunæ caſus, ad calamitates privatas & publicas, ad querimonias amantium & ſuſpiria, ad amicorum expoſtulationes, ad ſupplicum vota brevi translatum fuit, ut intelligere eſt tum ex Ovidio:

Flebilis ut noſter ſtatus eſt, ita flebile carmen.

Tum ex Horatio:

Verſibus impariter junctis querimonia primum,
Mox etiam incluſa eſt voti ſententia compos.

Demum velut abjecta veſte lugubri liberiorem auram captavit, & felicibus quoque rerum eventibus, gratulationibus, conviviis, quin & jocis ac furtivis amoribus ſeſe immiſcuit, accinente Ovidio:

Blanda pharetratos Elegeia cantet amores.

Quod amplius eſt, prodit Laertius adductis verſibus, Solonem uſum eſſe elegia-

co

eo metro in condendis ac conſcribendis legibus Reipublicæ, & Theogenem Poetam vetuſtiſſimum in morum præceptis, & recta vitæ inſtitutione: Tyrtæus res bellicas elegis complexus eſt, quibus militum animos adeo vehementer incitabat, ut lymphatis ſimiles in hoſtium agmen irruerent; unde Horatius:

Tyrtæusque mares animos in fortia bella
Verſibus exacuit.

Hæc de initio & progreſſu Elegiaci carminis. At de primo inventore ſi loquamur, Strabo quidem alicubi Elegiæ Principem adpellat Callinum, quem alii dicunt Callinoum: alibi Mimnermo Colophonio gloriam hanc inventionis tribuit. Quinctilianus vero & Propertius Callimacho Cyrenæo, & Philetæ Coo primas vendicant. Sed fateri oportet cum Horatio:

Quis tamen exiguos elegos emiſerit Auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub Judice lis eſt.

Quamvis autem dubia ſit inventionis palma, cuinam ex his adtribuenda ſit, illud certum eſt inter primos Græciæ Poetas Elegiacos recenſendos eſſe inprimis Calli-

Callimachum, de quo dixi, & Philetam, quorum meminit Quinctilianus dicens: *Tunc & Elegiam vacabit in manus ſumere, cujus princeps habetur Callimachus: ſecundas plurimorum confeſſione Philetas occupavit*: tum Mimnermum, de quo Propertius:

Plus in amore valet Mimnermi verſus Homero,
Carmina manſuetus lævia quærit amor.

De Phileta vero idem:

Inter Callimachi ſat erit placuiſſe libellos,
Et ceciniſſe modis Coe Poeta tuis.

Plures lauro poetica dignos Elegiacos Latium producit: C. Valerium Catullum, Veronenſem, ingenii acumine ac cultiſſima latinitate inſignem, ſed ob impurorum amorum ſordes, quibus carmina ſua adſperſit, ſane deteſtandum: Albium Tibullum, Poetam terſum & elegantem, cui Quinctilianus elegiaci carminis palmam adjudicat: P. Ovidium Naſonem, equeſtri genere natum Sulmone, ingenii felicitate, ac facilitate carminis pangendi nulli ſecundum, ſi non omnibus anteferendum. Ejus libri Heroidum, de Triſtibus,

ſtibus, de Ponto, de Faſtis merito apud omnes in pretio ſunt ; at libros de amore & amoris remedio neſcire in lucro ponendum eſt : Sextum Aurelium Propertium, Umbrum, non multo inferiorem Ovidio ſublimitate ingenii, & amœnitatis gratia, obſcœnitate vero parem, ſi non ſuperiorem.

Satyræ, quod genus carminis ſibi proprium vendicant Romani, tanquam a græca Poeſi prorſus alienam teſte Quinctiliano dicente : *Satyra tota noſtra eſt*, Satyræ inquam originem Livius ab Etruſcis ludionibus deducit, quos in urbem accitos imitata juventus Romana feſcennino more alternis ſeſe provocavit verſibus ; de qua re ita canit Horatius :

Feſcennina per hunc inventa licentia morem
Verſibus alternis opprobria Ruſtica fudit.

Hæc veluti prima ætas Romanæ Satyræ fuit, cui altera ſucceſſit, in quo, ut idem Livius ait, *non ſicut ante Feſcennino verſu ſimilem, incompoſitum ac rudem alternis jaciebant, ſed impletas modis Satyras deſcripto jam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant.* Aliquo poſt

poſt tempore a Satyris ad fabulas converſi juvenes Romani duce Andronico veteres jocos ab Oſcis olim mutuatos reduxerunt, quibus ſeria fabularum argumenta temperabant, quosque exauctorato Satyræ nomine *Enodia* vocabant. Demum Ennius, ubi advertit Romanis priſcum Satyræ genus magis placuiſſe, illam poſtliminio revocavit, novique poematis fundamentum jecit, quod extra ſcenam mores ac vitia caſtigaret non ſine ſale ac lepore. Ennii veſtigiis inſtitit Pacuvius: at ſuperveniens Cajus Lucilius limam admovit, & dum antea e variis metris conflatum eſſet hoc poema, ipſe ad Hexametrum ſolum redegit, atque ſic novam induxit formam, ita ut Satyræ inventor primus haberetur. Denique acceſſit Quintus Horatius Flaccus, patria Venuſinus, & ultimam manum perficiendo huic carmini Satyrico adjecit. Hic enim ejus acerbitatem amœnitate quadam ac urbanitate temperare novit, quam facetus in fabulis & acutus in reprehenſione, tam in moratæ vitæ documentis & præceptionibus tradendis accuratus, ita ut monendo placuiſſe, & jocando caſtigaſſe videatur. Hunc ſecuti ſunt Decius Junius Juvenalis, qui Domitiani tempore vixit, vehemens ac mordax, ſententiarum tamen gravi-

gravitate nobilis ac dictione ſublimis : & Aulus Perſius Flaccus Volaterris natus, qui ut loquitur Quinctilianus, *multum & & veræ gloriæ quamvis uno* (Satyrarum) *libro meruit.* Singulare illi erat, & præter morem reliquorum, neminem compellaſſe palam, ſed quos cenſura dignos judicavit, ſub fictis nominibus deſignare ſatis habuit.

De Lyrici carminis ortu dicturis retrogrediendum eſt uſque ad prima mundi ſecula, quibus jam cantu quodam rhythmico, ut alibi diximus, homines primum veri Dei, tum etiam fictorum Numinum laudes celebrabant. Hebræi quidem nonniſi veri Numinis cultui, rebusque ſacris & cantus & inſtrumenta Muſica commodaſſe leguntur, ita ut non concederent juventuti ſuæ diſcere edereve cantiones alias & carmina, quam quæ reverentiam & amorem erga Deum inſpirarent : eratque lege cautum, ne his extra ſacrificii tempus aut locum uterentur. At ethnici Poeſin ſuam & Muſicam a Deorum ſacris brevi ad heroum laudes, ad Olympiacos pugilum equitumque ludos, ad amores, ad convivia adhibuerunt. Hæc enim omnia Lyricorum carminum argumenta fuiſſe oſtendit Horatius :

Muſa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Erat autem cantus iſte rhythmicus tunc rude quoddam & vagum carminis genus, nec certos pedes nec numeros agnoſcebat alios, quam quos Muſica ipſa velut præſcripſit : cætera dictio hæc Poetica ſolutæ orationi haud erat abſimilis teſte Tullio : *Quamquam etiam a modis quibusdam cantu remoto ſoluta eſſe videatur oratio. Maximeque id in optimo quoque eorum Poetarum, qui* Ἀυρικοὶ *a Græcis nominantur : quos cum cantu ſpoliaveris, nuda pene remanet oratio.* Verum multo licet poſt tempore vagæ huic Poeſi limites poſiti fuerunt, & e rhythmis natum eſt metrum, certo ſyllabarum & pedum numero definitum, uti Alcmanium ſive Dactylum ab Alcmane, Alcaicum ab Alcæo, Sapphicum a Sappho, ab Aſclepiade Aſclepiadeum, a Pherecrate Pherecraticum, denique Jambicum. Quum autem hoc ipſum, de quo memini, metrum pro ingeniorum & guſtus varietate varium eſſet, modo pluribus modo pauciori-

cioribus pedibus, longis aut brevibus ſyllabis conſtans, quidquid non continuis hexametris, uti Epicum ſeu Heroicum, aut hexametris & pentametris ſibi invicem ſuccedentibus, uti Elegia, erat compoſitum, comprehendi cœpit Lyrici carminis nomine, ab inſtrumentis muſicis, tibia ſcilicet, cithara, & potiſſimum lyra derivato ita nuncupati. Porro carmen Lyricum antiquitus tantum erat monoſtrophon, ſeu unius ſimplicis ſtrophæ: poſtmodum vero in tres partes diſtribui cœpit, in ſtropham, antiſtropham, & epodum. Laudes quippe, ut refert Pontanus noſter, Deorum Dearumque carminibus comprehenſas, aram circumiens chorus decantabat. Primum ambitum, quo ſiniſtrorſum ingrediebantur, στροφὴν ſeu *Converſionem*, alterum quem dextrorſum conficiebant, ἀντιστροφὴν *reverſionem*, ipſa cantica ᾠδὰι ſeu Odas & Antodas vocabant: quin ab illis itionibus & reditionibus etiam Strophas & Antiſtrophas. Tandem in medio & velut in conſpectu Deorum quieſcentes, quod, reliquum erat cantus, perſolvebant: Totum vero, quod poſt ſtrophen cantabatur, ἐπωδὸς ſeu Epodus dictum fuit. Quamvis autem Hebræis eorumque Pſaltis, ut Moſi, Da-

vidi, Prophetis, aliisque, Rhythmorum, & Canticorum inventorum gloria, primaque Lyricæ Poeſeos elementa debeantur, non tamen hoc prohibet, quo minus eandem, ſi artificium conſiderare velimus, apud Græcos natam perfectamque fuiſſe dicamus. Primus inter Poetas Lyricos celebratur Alcman, Lacedemonius, qui ſexcentis ſeptuaginta ante Chriſtum annis vixit, cujus operum nonniſi fragmenta quædam variis in Auctoribus diſperſa ſuperſunt. Steſichorus patria Siculus *ſcripſit bella maxima, & clariſſimos canens Duces Epici carminis onera Lyra ſuſtinuit*, ait Quinctilianus. Sappho Lesbia floruit Nabuchodonoſoris tempore, & ob amœnitatem ſuavitatemque carminis Sapphici, quod inveniſſe dicitur, novem Muſis decima addi promeruit. Alcæus Lesbius Sappho Coætaneus Alcaici verſus auctor exſtitit, *aureo plectro* teſte Quinctiliano *jure donatus.* Ibycus, Italus Rhegienſis, ſublimitate ac ſuavitate carminis commendandus, ſed ſimul obſcœniſſimus. Anacreon ex Jonia oriundus Lyricam Poeſin primus ad res amatorias & convivia traduxit, Baccho & Venere, dum ſcripſit, ſemper plenus. Simonides ex inſula Coo „ tenuis alio- „ qui, ſermone proprio & jucunditate „ qua-

„ quadam commendari poteſt Præcipua „ tamen ejus in commovenda miſeratione „ virtus ; & quidam in hac eum parte „ omnibus ejusdem operis Auctoribus „ præferunt „ Ita Quinctilianus. Pindarus Thebis in Bœotia natus, cui hac in arte Græci omnes primas concedunt ob ſpiritus magnificentiam, ſententiarum ac figurarum fulgorem, & rerum verborumque copiam, propter quas dotes ab ipſo Horatio nemini imitabilis credebatur :

Pindarum quisquis ſtudet æmulari,
Jule, ceratis ope Dedalæa
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Bachilides ultimus ætate e novem Lyricorum in Crœcia Poetarum choro eſt, par tamen Pindaro, ut quidam exiſtimant. Inter Latinos ſolus occurrit Quintus Horatius Flaccus, qui nullum ante ſe Poetam Lyricum habuit alicujus nominis, nec poſt ſe ullum reliquit, ipſe vero Romanæ Lyræ Princeps facile exſtitit. Nam majeſtatem hujus carminis cum ſermonis elegantia & admirabili lepore felici fœdere conjunxit, ita ut nihil in eo niſi perfectum, nihil reprehenſione dignum deprehendatur a Criticis, ſi mo-

res excipias, quos meretriciis amoribus paſſim conſpurcat.

XVI.

Poſt detectam non ſolum Poeſeos univerſim, ſed & ſingularum artis hujus ſpecierum originem atque progreſſum ad enumerandas quinque ætates latinæ potiſſimum Poeticæ gradum promoveo, ubi & antiquioris ævi, & recentioris heroes, eorumque labores brevi manu palam facere conſtitui: per has enim optime omnium ejusdem incrementa ſimul & decrementa in lucem prodeunt. Prima ætas veluti *infantia* complectitur rhythmos & metra quædam imperfecta, eorumque Auctores, de quibus paulo ante. Rudimenta hæc ab Hebræis in Græciam, ab hac in Italiam, præcipue Romam translata ſunt. Hanc vero ætatem excepit *Adoleſcentia* Poeticæ, quam a Livio Andronico atque Ennio in Accio Nævio & Plauto transegiſſe videtur: progreſſa poſtmodum ad conſummatum floreutiſſimumque robur *virilis ætatis* in Terentio, Catullo, Tibullo, atque Horatio viguit, in Virgilio autem luculenter ſplenduit. Inclinare tum cœpit paullatim in *Senium* ſub Martiale, Juvenale, Silio, Statio, donec quarto veluti decurſo ſpatio ad *decrepi-*

crepitam omnino *ſenectutem* provecta eſt Sereni, Sidonii, Mamerci, Nemeſiani, Severini, Auſonii ævo. Nimirum barbaries Gothorum, quæ per totam Europam ſe late divulgavit, etiam Poeſi ſeſe immiſcuit, nec niſi aridam ſiccamque venam Muſarum alumnis reliquit. Non tamen penitus naufragium paſſa eſt ars hæc nobiliſſima, ſed ſecundis tabulis in litus emerſit, paucorumque ope ab interitu vindicata fuit. Ibi novam quaſi pueritiam ingreſſa efflorescere cœpit adnitente illuſtrium Virorum Triade: *Dantis*, *Petrarchæ* & *Bocacii*, ſed Danti nimis profundum ingenium, Petrarchæ plus æquo vaſtum, Bocacio juſto familiarius vitio vertunt Critici. Succeſſerunt his *Arioſtus*, *Sannazarius* & *Vida*, qui poematibus ſuis multum per ea tempora inclaruere: primus de bello Maurico, alter de partu Virginis, tertius de Chriſto mortuo, & de arte Poetica cecinit, de qua Scaliger ait lib. 6. Poet. *Præterea tanto majore laude quam Horatius dignus eſt, quanto artificioſius de arte egit hic, quam ille.* Suſpiciunt plerique in iis ſtyli nitorem, granditatem dictionis, in deſcriptionibus artificium: fabulam tamen meliorem, dignitatemque argumentum æquantem deſiderant. *Pontanus, Politanus,*

tanus, *Card. Sadoletus* & *Card. Bembus* eodem ævo magnam ab elegantia carminis laudem ſunt conſecuti: mediocritas tamen iis objicitur. *Mambrun* ſcripſit Conſtantinum, *Buſſierius* Ignatium Societatis JEſu Fundatorem: omnes felices ac ſeduli imitatores Virgilii. In Hiſpania & Luſitania *Camoſius* & *Lopius de Vega* prodierunt in medium non ſine admiratione; ſed ſtyli faſtus non paucis diſplicuit. *Hugo Grotius*, & *Daniel Heinſius* duo Belgii Fœderati Poetæ a Latinorum verſuum nobilitate plurimum commendantur: in Gallia *Bartaſus* & *Ronſatus* magna Pindi nomina fuerunt, quamvis genus heroicum in verba potius, quas res ipſas prodegiſſe arguantur. Ultimis temporibus in theatro Poetico non ſine plauſu comparuerunt *Corneillius*, *Carolus Ruæus S. J. Joannes Baptiſta Giattinus S. J. Racinus*, *Antonius Clauſius S. J. Germanus*, Tragici. *Caſimirus Sarbievius* & *Jacobus Balde*, uterque S. J. Lyrici: *Sidronius Hoſchius*, *Antonius Millieus*, *Emmanuel Theſaurus*, *Franciſcus Vavaſſor*, *Angelinus Gazæus*, *Vincartius*, *Petrus Mambrun*, *Petrus Sautelius*, *Carolus Malapertius*, *Livinus Mayer* de ira, & *Grimaldus* de vita urbana, omnes ejusdem Inſtituti, Poetæ Elegiaci, Heroi-

Heroici, Epigrammatici, Jambici, &c. Præter hos e ſola Societate Jeſu numerat Sotvellus (f) triginta tres, qui de Præceptionibus Poeticis ſcripſerunt, inter quos præcipui Jacobus Pontanus, Donatus, & le Jay: qui vero Poemata publicam in lucem emiſerunt, omnino centum & nonaginta. His aliisque, quis enim omnium memoriam celebret? plurimum ſane debet Poetica, utpote qui egregia æmulatione priſtinam revocaſſe viſi ſunt illius gloriam, ſimulque viam ſtraverunt ſecuturis lauri aut hederæ Candidatis.

Quoniam vero de lauro hederaque fere incogitanti mihi mentio excidit, rem non ingratam facturum me arbitror, nec ab inſtituto alienam, ſi paucis adnectam hujus quoque rei originem, ut intelligamus, quid ſint, & unde dicantur Poetæ laureati, vel coronati. Eſt autem multiplex coronarum genus: Ea quæ ex *lauro* fit, teſte Horatio & Papinio Victoribus & Heroicis Poetis convenit; quum prius tantum Ducibus Imperatoribusque conferretur: quæ ex *hedera*, Lyricorum Poetarum merces erat; non tamen ex obvia quavis hedera, ſed nobiliore nigraque, cui flos erat croceus: quæ ex *myr-*

(f) *In Biblioth. Script. Societ.*

to, dabatur Eroticis Poetis, hoc eſt, amatoria canentibus: illis vero, qui in omni carminum genere glorioſe & cum laude ſcripſiſſent, attribuebatur illa corona, quæ diverſis e frondibus, lauri, hederæ ac myrti contexta fuit. Principium hujus moris conjectura licet adſequi, dum Plutarchus memoriæ prodit, (g) vetuſtiſſimum fuiſſe Poetici certaminis uſum apud Græcos, qui ſicut ad exercendas corporis, ita etiam ingenii vires diverſa ludorum genera inſtituerunt, eo fine, ut tum literarum & carminum ſtudioſi æmulationis ambitione excitarentur, tum ut populus doctis hiſce oblectaretur certaminibus, atque ita Reipublicæ non ſolum de armorum, ſed etiam ſcientiarum gloria proſpectum irent. Conſtituebantur autem Judices, quorum munus erat, decernere victoribus coronas, de quibus diximus; cujus rei originem idem Plutarchus repetit ab Homeri Heſiodique temporibus, dum ambo Poetæ iſti in funere Melyci Theſſali carminibus certarunt, ubi victoria per Judicum ſententiam penes Hoſiodum ſtetit, qui poſtmodum ſequens Epigramma tripodi inſcripſit, qui in Helicone Muſis poſitus erat:

Heſio-

(g) *Lib. 5. Symphoſiacon.*

Heſiodus poſuit Muſis Heliconibus istum,
Cum cantu vicit divinum in Chalcide Homerum. (h)

Illud tamen fateri oportet, raros fuiſſe vetuſtis temporibus Poetas Laurigeros. Quamvis enim Poetæ ipſi inter canendum coronas ſibi petierint, quemadmodum apud Virgilium legitur:

Atque hanc ſine tempora circum
Inter victores hederam tibi ſerpere lauros.

Hæ tamen ſeu apud Græcos ſeu apud Latinos initio parciſſime conferebantur, nec niſi per Judicum ſevera ſuffragia: quibus modo ſubmotis, facultate hac ad ſummos Principes ac Optimates translata, coronantur non raro Poetæ quidam lauro & hedera, qui vix urticas & blitum ac braſſicas inſulſis verſibus ſuis merentur

(h) *Apud Dionem.*

CAPUT III.

NATURA POETICÆ.

§. I.

Finitio ejusdem.

XVII.

In veſtibulo Poeticæ hucusque nos detinuimus: juvat nunc propitio Apolline in interiora & ſacratiora illius adyta penetrare. Nomen ſuum ducit hæc ars ἀπὸ τῦ ποιεῖν, ſcilicet a faciendo ſive fingendo: fingere autem ſeu effingere aliud nil eſt, quam rem imitari, cujus imago & ſimilitudo eſt exprimenda; quo munere quam præclare fungatur Poeſis, palam eſt. Quis enim legit maris & ventorum prælia, navesque jactatas in regno Neptuni, Jovem iratum & ex alto fulminantem, hortorum delicias & Floræ opes, venantum ſtudia atque cubilia Dianæ, Mavortis caſtra, pugnas, cædes, &c. & non his omnibus præſer-

præſentem eſſe ſe credit, ſuisque oculis coram intueri? parum hoc: coloribus adeo vivis ipſorum hominum mores, ſtudia, cupiditates, cæterasque mentis affectiones depingit, ut qui legit, easdem vel invitus induat, eosdemque animi motus lætitiæ, iracundiæ, miſericordiæ, furoris, triſtitiæ, magnanimitatis tacite præcordia ſubire ſentiat, & non raro quemdam veluti enthuſiaſmum patiatur. Quid? quod ipſo etiam verſuum ac pedum curſu flexuque materiæ ſubjectæ indolem & naturam miro cum artificio imitetur, cujus rei obvia vel ſolo in Virgilio habemus exempla:

Chara Deum ſoboles, magnum Jovis incrementum. (i)

Sternitur, examinisque tremens procumbit humi bos. (k)

Saltantes Satyros imitabitur Alphefibœus. (l)

Devenere locos lætos, & amœna vireta. (m)

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum. (n)

Verum

(i) *Ecl.* 4. (k) *Æneid.* 5.
(l) *Ecl.* 5. (m) *Æneid.* 6.
(n) *Æneid.* 8.

Verum ut clarius pateat, quid rei ſit Poetica, facultatem eſſe ajo, quæ res quaslibet oratione metrica veriſimiliter & accommodate ad delectationem, utilitatemque audientium aut legentium exponit per idoneam fictionem. De his dotibus ſingulis latior dicendi campus alibi ſe aperiet: interim illud notaſſe proderit, fictionem eſſe animam Poeſeos, quæ ſi abſit, languidum erit, ſine ſucco, jejunum & inane Poema, illiusque Auctores non tam Poetæ, quam Quinctiliani voce Verſificatores adpellandi. Certe hanc ob rem Lucanus magis in Hiſtoricorum, quam Poetarum album referri meretur, quoniam fictio tam neceſſaria dos poematis in eo deſideratur.

TVIII.

Eſt autem *Poema* ipſum opus, ſeu carmen longius aut brevius: *Poeſis* vero proprie fictio eſt ac forma illius, quamvis etiam promiſcue pro poemate uſurpetur. *Stylus* quo utuntur Poetæ, ligatus eſt & adſtrictus ad leges, vel *Rhythmi* vel *Metri*: in illo deſideratur tantummodo par ſyllabarum ratio, ut ſimiliter cadant ſeu deſinant: in hoc attenditur ad menſuram verſus, an definitum habeant pedum Poeticorum numerum. Eſt enim

pes,

pes, quo incedunt verſus, pars quædam illius ſive dictio polyſyllaba cum certa quadam ſyllabarum dimenſione ac ordine. Itaque pedes conſtituunt verſus: ſyllabæ pedes: verſus conficiunt metrum, etſi de eodem propoſito ſatis multi uno vel pluribus metris conjungantur: carmen adpellatur a canendo, quemadmodum Græcis Odæ, Latinis Cantica dicuntur, quia olim canebantur ad Lyram. Non idem tamen carminis genus eſt; in multa ſeſe membra & ramos diffundit, & multiplici charactere diſtinguitur: Vel enim ab *Auctoribus ſeu Inventoribus* nomen ſortitur, uti Alcaicum ab Alcœo, Anacreonticum ab Anacreonte, Aſclepiadeum ab Aſclepiade, Sapphicum a Sappho Lesbia puella, Dithyrambicum a Dithyrambo: Vel a *materia* & *argumento* nuncupatur, quemadmodum Heroicum a rebus geſtis Heroum, a re ruſtica Georgicum, a paſtoritia Bucolicum, a ſelectioribus paſtorum colloquiis Eclogæ, a laudibus ſeu veri Numinis ſeu falſorum Deorum Hymni; Elegiæ ἀπὸ τῦ ἐλέειν, ſive lamentis; Tragediæ a triſtibus eventis, a Satyrum procacitate Satyræ. Vel dicitur *ab inſtrumentis Muſicis*, ſicut Lyricum a Lyra; Vel a *pedibus* in verſu præcipuis vocatur, uti Jambicum a Jambis, Anapæſticum ab

Ana-

Anapæſtis, a Trochæis Trochaicum: Vel etymologiam nominis ducit e *numero ſyllabarum*, uti pentametrum a quinis, hexametrum a ſenis pedibus. Vel denique nomenclaturam accipit a *trophæis*, *ſtatuis*, *marmoribus*, quibus inſcribi ſolebat priſcis temporibus, & quandoque etiam noſtris, ſicut Epigramma, cujus laus omnis in brevitate, argutia, venuſtateque poſita eſt.

§. II.

Diviſio Poeticæ.

XIX.

Patefacta ſemel janua progredi ſecure licet; videlicet a fictione ad partitionem Poeticæ. Hæc profecto varia eſt, prout variæ ſunt ideæ, quas viri præclariſſimi mente conceperant, qui artis hujus naturam ac indolem penitus inveſtigarunt. Lilius Giraldus, qui Poeſeos hiſtoriam numeris omnibus abſolutam edidit, in duas claſſes diſpeſcit Poetas; in *prima*, ubi formæ rationem habet ſeu ipſius Poematis, collocat *Epicos*, ſub quibus Jambicos & Elegiacos quoque complectitur: tum *Scenicos*, quorum nomine Tragœdos & Comœdos deſignat: tum demum

demum *Lyricos*, quæ claſſis latiſſime patet ob multiplex metrum, quo Lyrici carmina ſua fundunt. *Secundæ claſſi*, quam deducit a materia ſubjecta ſeu rebus, de quibus cecinere Vates, adſcribit Poetas *ſacros* & *profanos*: & ſacros rurſum dividit in *Chriſtianos*, quorum ſcripta Georgius Fabricius magnis curis collegit; atque in *Paganos*, quum & iſti in laudes Deorum ſuorum paſſim excurrerint: Profanos autem in *Medicos*, *Philoſophos*, *Hiſtoricos*, hisque affines. Vix enim rerum aliquod genus erit in mundo, quod Poetarum ingenium intactum reliquit. De Geographia, ſcilicet de ſitu orbis, carmen edidit Dionyſius; alius de navigatione, qui ſcripſit Columbiadem, hoc eſt, maritimum iter Chriſtophori Columbi; de Hiſtoria, nempe belli civilis, pugnæque Pharſalicæ Lucanus & belli punici ſecundi Silius Italicus; de piſcibus arteque venandi Oppianus; de rerum naturalium cauſis occultis Lucretius; de pravis motibus animi comprimendis, de colendis virtutibus & vitiis fugiendis Pythagoras, Phocylides, Horatius & Juvenalis. Aliam ingreditur viam Julius Cæſar Scaliger (o) qui triplicem Poetarum ordi-

(o) *Lib.* 1. *Poet. Cap.* 2.

ordinem ſtatuit a triplici pariter fonte petitum, nempe a ſpiritu, ab ætate, & a materia. *Primum* eo diribitore obtinent, qui furore quodam a Diis immiſſo rapiuntur, abſtrahunturque a vulgari Muſa Poetarum, nec niſi ſublimia divinaque cantant, quos Plato vocat ὑπηρέτας Deorum, (p) atque inter hos quidam ſunt, quibus nec opinantibus nec invocantibus divina illa vis cœlitus illabitur, quorum in numero Heſiodus ipſe ſe collocat, ab omnibus ponitur Homerus : quidam vero, quos acuit meri exhalatio, excitans ac colligens e variis corporis partibus ſpiritus illos, quos animæ cogitantis inſtrumenta vocant Medici. Talem ait Ennium fuiſſe Horatius: Scaliger vero ipſum Horatium : hoc & Sophocles objecit Æchylo dicens : *Vinum, non ipſum eſſe illius Tragœdiarum auctorem. Secundus ordo* complectitur triplicem ætatem : vetuſtiſſimam illam, rudem ac incultam, quæ ſine ullo nominis honore tenuem duntaxat ſui memoriam veluti per nebulam poſt ſe reliquit : deinde mediam & veneratione dignam, a qua Theologia Veterum & myſteria ortum habent Ducibus Orpheo, Muſæo, Lino, Olympo. Tertiam felicem illam & laurigeram, cujus

(p) *In Jone.*

jus Homerus quaſi auctor & parens: nec minus Heſiodus cum reliquo Poetarum excellentium ſeu Græcorum ſeu profanorum choro. De *ordine ultimo* a materia ducto, nil eſt, quod adjungam, quum de illo ſatis ſuperque primum antea. Illud animadverſione dignum, quod hæc Scaligeri partitio nimium ſapiat ævum fabuloſum.

XX.

Religioſior eſt illa, magisque veritati conſona diviſio, quam ab eruditione notiſſimus Poſſevinus noſter adfert in ſuo ad ſcientias adparatu. Diſtribuit ille omnem hanc artem in Poeticam *Divinam*, *Naturalem*, & *Moralem*. Divinam e ſacrarum Literarum teſtimonio petendam eſſe demonſtrat, præſertim ubi de Moſe Iſraelitarum Duce mentionem faciunt. „Certe hic primus, ait, ac præſtantiſſimus „ Poetices ſcriptor fuit, quod ſane ex duo„ bus Canticis hexametro carmine (ut „ inquit Hieronymus) ſcriptis patet in „ libro Exodi (q) & Deuteronomii.„ (r) Tum primi cantici verba producit: *Cantemus Domino: glorioſe enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit in mare. Fortitudo mea & laus mea Dominus,*

(q) *Cap.* 15. (r) *Cap.* 32.

minus, & factus eſt mihi in ſalutem. Iſte Deus meus, & glorificabo eum, &c. Quam ſublimi, exclamat hic Auctor, cothurno cecinit Moyſes, quum Pharaone demerſo populus e mari rubro liber evaſit? poſtea & alterius cantici initium refert: *Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Concreſcat in pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quaſi imber ſuper terram, & quaſi ſtillæ ſuper gramina. Quia nomen Domini invocabo: date magnificentiam Deo noſtro. Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia, &c.* His criſin ſuam adjungit tanto Viro dignam, dicens: „ Quæ ſi cum omnibus Pindari „ Epiniciis, quæ ille conſcripſit Olympia„ ca, Neomenica, Bythonica, compo„ nantur, quam iſta meras ſapiunt nugas „ præ divinis illis laudibus? „ Nec his contentus ultra pergit Poſſevinus Poeſin Moſaicam extollere laudibus, dum eidem Auctori teſte Hieronymo (s) adſcribit pſalmos in Davidis pſalterio contentos, ſcilicet decem ab octogeſimo nono, cui titulus: *Oratio Moyſis ſervi Dei*, uſque ad centeſimum (ſi nonageſimum quartum excipias) quibus hæc verba graviſſima ſubnectit. „ Quos & reliquos ſi quis cum „ hy-

(s) *Epiſt. ad Cyprian.*

„ hymnis Orphei, Muſæi, Theocriti, Ho-
„ meri, Callimachi, & aliorum conſe-
„ rat, intelligit in Moſaicis gemmas, in
„ ethnicis ne quidem vitrum fulgere. „
A Moſe ad Jobum transgreditur, vel potius ad ipſum Moſen, quem Origenes (t) Jobi certamina edidiſſe, vel certe ex Arabum lingua vertiſſe tradit. Hujus autem Jobi certamina fere omnia non ſolum Poeticis numeris conſcripta, ſed præcipuis iſtius artis dotibus locupletata eſſe denuo D. Hieronymus docet. Verbo: non ſolum ſacri poſteriores Pſalmographi, qui divinas in carminibus ſuis voces ſpirarunt, verum etiam Græci & Latini, quidquid de unius Numinis cultu, deque ſublimibus religionis noſtræ myſteriis cecinerunt, ex eodem fonte, ſcilicet Moſis poetica, hauſiſſe palam eſt. Hæc de prima Poeſeos claſſe, nimirum de divina: brevior eſt Poſſevinus in recenſendis reliquis, Naturali & Morali. *Naturalem* ſeu illam, quæ vel de naturæ miris operibus tractat, vel certe naturali quadam facultate, ac impetu ingenii ad verſus fundendos impellitur, floruiſſe ait tum inter Paganos, uti Empedoclem, Nicandrum, Oppianum, Aratum, Lucretium, tum inter Chriſtianos, uti Jovinianum Pontanum, Fra-

(t) *Præf. in Job.*

caſtorium, & reliquos: *Moralem* vero priori ſucceſſiſſe, Phocylidis, Pythagoræ, Theognidis, aliorumque doctis commentis excultam, quibus accenſet etiam illos, qui vel oeconomica, quemadmodum Heſiodus & Virgilius in ſuis Georgicis, vel Politica & civilia, ſicuti Solon, Tyrtæus, &c. vel varia carminis genera, Epica, Lyrica, Comica, Tragica, Epigrammatica perſecuti ſunt, quæ ſi virtuti famulentur, amplexu digna ſunt; ſi autem vitiis, exilio.

§. III.

Characteres Poeticæ.

XXI.

Equidē finiendo, dividendoque Poeticam naturā ejus ſatis clare conſpectui noſtro obverſatur: ſed clarius adhuc innoteſcet, ſi characteribus iis veſtita compareat, quibus ſeu Poeſis ipſa, ſeu Poetæ inſigniri ſolent. Omnium facile princeps eſt *indoles & ingenium*, quod tanquam dotem afferre ſecum debet ipſe Poeta ad caſtum cum Muſis connubium. Opus eſt autem, ut qui tam ſanctum nomen Poetæ cum dignitate ſuſtinere cupit, prædītus ſit ingenio fertili, ſolido, penetrante, nec limitibus cogi-

cogitandi circumſcripto, comitante nobili quadam ſcitaque imaginandi facultate. Quippe ut ait Pontanus noſter, Poeta res ipſas non tam narrando intelligentiæ hominum ſubjicere, quam faciendo & procreando quodammodo in eorum conſpectu collocare debet, quum oporteat, eum non tantummodo rerum exſtantium formas & ſimulacra elegantiſſime imitando conſequi, & exprimere, ſed inſuper non exſtantium, quæ tamen exſtare poſſent, & ita poſſent (quod quidem magis eſt ipſorum officium) novas, mirificas ſane ſpecies, ac ſimilitudines præclaro quodam modo progignere, & tanquam e nihilo res fingendo producere. Præterea inſtructus ſit *judicio* ad res ſapienter pernoſcendas, vivacitate ad exprimendas cum gratia & abundantia. Eſt tamen judicium ſine ingenio frigidum & languidum : ingenium autem ſine judicio cœcum, & extra orbitam facile ſaltans. Tota vero hæc indoles non tam ab arte, non a ſtudio pendet, ſed cœli donum eſt. Quapropter ſunt, qui Lucanum in ſuo de pugna Pharſalica poemate langueſcere, ipſum vero Ovidium in metamorphoſi non ſat firmo uſum judicio eſſe contendunt. Non minus facile ac fluidum debet eſſe ingenium Poe-

tæ, ac tale, quale in ſe miratus eſt Sulmonenſis:

At mihi jam puero cœleſtia ſacra placebant,
Inque ſuum furtim Muſa trahebat opus.
Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et quod tentabam dicere, verſus erat. (u)

Nolim autem, ut quis exiſtimet, ſoli omnia ingenio tribui, atque ita huic fœna laxari, ut inſtar hinnuli per campos Poeticos curſu ſuo in omnem qua libet partem ſine lege, ſine rectore feratur atque luxuriet: contra vero *arti ac ſtudio* parum aut nihil hoc in negotio concedi. Equidem non me latet, id a nonnnllis fieri nimis quam par eſt liberaliter, quos ſeu interpretatione ſiniſtra, ſeu intelligentia ſequiore decipit notiſſima illa gnome: *Orator fit, Poeta naſcitur.* Sed ſi juſto rem judicio ponderare velimus, facile genuinum deprehendemus ſenſum, nempe Oratorem, licet ingenio miti ac mediocri, nec tam excelſo & fulgurante a natura inſtructum ad magnum eloquentiæ gradum eluctari poſſe artis ſtudiive admini-

(x) *Lib. 4. Triſt.*

miniculo, quum ars naturam ſupplere queat: neminem vero ſine magnis validisque ingenii viribus ad Parnaſſi culmina evolare poſſe, neque hanc naturæ parſimoniam emendari ab arte.

XXII.

Ex hoc tamen neutiquam meo judicio conſequitur, nullum arti locum eſſe in Poetica tribuendum. Horatium audire juvat, cujus ævo jam res hæc in jus vocata eſt: (x)

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæſitum eſt. Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid poſſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Videmus heic quæſtionem propoſitam, ſed non deciſam: utraque opus eſſe contendit Horatius. Equidem Orpheum, Linum, Muſæum, quos Poeſis primos veluti parentes, & progenitores tota venerabilis Antiquitas celebrat, inclaruiſſe novimus pluribus ſeculis ante, quam ullæ præceptiones Poeticæ comparuerunt. Verum

(x) *In arte Poet.*

rum pauca, quæ de horum carminibus exſtant, fragmenta, ſatis demonſtrant, initia duntaxat Poeſeos ab iſtis eſſe petenda, quæ plerumque rudia eſſe ſolent, eosque ultra rhythmos & hymnos haud eſſe progreſſos, quos entheo, quem dixi, ſpiritu quodam correpti veluti temere ac ſine lege effuderunt. Cætera veriſſimum eſt effatum Simyli apud Stobæum de ſcientiis univerſe pronuciantis :

Sine arte nuſquam omnino natura eſt ſatis,
Quodcunque tandem ſtudium nominaveris.
Nec ars adempta natura quidquam poteſt.

Quamvis enim non pauca ſint, quæ absque præceptorum ambagibus addiſcimus, propterea quod a natura ingeniis noſtris velut fertili ſolo inſerantur, nihilominus hæc ipſa naturæ dona ab arte magiſtra perficiuntur. Quare Pindarus & ipſe vetus ac celebris Poeta cecinit: *Poetas lacte ſimul & melle paſci*, per lac deſignans ubertatem ac fœcunditatem naturæ, cum ex alimento animalium ſponte proveniat: per mel vero artem, quæ nonniſi labore ac ſtudio non ſecus ac mel apum

apum induſtria ac ſedulitate mira comparatur. Interea tamen Quinctilianus, ſi eum ſequi placeat, credit, artem minus momenti quam naturam afferre ad ſummum Poeticæ perfectionis culmen. Quare neceſſum erit, ut Poeta ſolicite vim & vires ingenii ſui exploret, priusquam Pegaſum conſcendat, ipſo Horatio rurſus monente:

Tu nil invita dices, faciesve Minerva.

Quædam enim ingenia, licet rara, ſunt, ut ita dicam, univerſalia, & inſtar ceræ ad omnem figuram flexilis, & omnium capacia, quale fuit Homeri & Virgilii. Horatius quamvis grandi etiam Poemati ſuffeciſſet, tamen impetu ad lyrica præcipue ferebatur, quo in genere ſummum gloriæ apicem ſe attigiſſe ipſus teſtatur, Melpomenen hunc im modum alloquens:

Totum muneris hoc tui eſt, quod monſtror digito
Prætereuntium Romanæ fidicen Lyræ.

Ovidius in Elegiis triumphat, non ita in heroico carmine. Atque ut poſtrema attingam tempora, Jacobus Balde S. J. in elegiacis & heroicis verſibus langue-

re

re videtur, in Lyricis nulli Veterum cedit. Quosdam eſt reperire, in brevibus excellentes carminibus, qui in magnis deficerent, ſimiles equis regiis, qui unius alteriusve leucæ iter ſumma velocitare conficiunt, ſuccubituri certo, ſi oneribus vehendis portandisque per plures dies admoverentur. Quidam denique ſunt tam ſancto indigni nomine, qui tanquam magnos Poetas ſeſe circumſpiciunt, & ipſum Apollinem cum Marſya ad certamen provocare non verentur, quando mirabilium idearum, cogitationumque ſylvam, ac meræ imaginationis fungos proferunt, ſine ſelectu, ſine judicio, ſine ſale. Hi profanant potius hanc artem, quam ornant, & cum Marſya pelle mulctari merentur. Nam ſi Horatio credimus, ille Poeta jure cenſendus eſt:

Ingenium cui ſit, cui mens divinior atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus bonorem. (y)

Quodſi næ mediocribus eſſe licet Poetis, ut idem teſtatur:

Mediocribus eſſe Poetis
Non Dii, non homines, non conceſſere columnæ. (z)

Qua

(y) *Lib.* 1. *Sat.* 4. (z) *Art. Poet.*

Qua ratione licebit eſſe puerilibus, aut plus quam ſapere oportet, ſapientibus? Atque ex hoc facile intelligimus, cum arte ac ingenio in fœdus coire debere judicium ſobrium, firmum & excelſum, ita ut hæc tria non male Charites Poeticæ nuncupari queant. Nimirum grande munus eſt Poetæ, nec ſine magno judicio rite ſuſtinendum:

Ille bonis faveatque, & conſilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet menſæ brevis; ille ſalubrem
Juſtitiam, legesque, & apertis otia portis,
Ille tegat commiſſa, Deosque precetur & oret,
Ut redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis. (a)

Hoc triplici charactere inſignitus, nempe ingenio, ſtudio atque judicio Homerus, facile princeps & idea Poetarum omnium evaſit. Profecto ex illius ſchola ſeu Poemate prodierunt antiqui Heroes magno numero, longoque ordine: inde Legislatores prima legum ſuarum, quas popu-

(a) *Horat. Art. Poet.*

populis dederunt, lineamenta duxerunt: Monarchiarum & Rerumpublicarum Conditores mutuati ſunt ideas regiminis atque Imperii: Philoſophi principia & regulas morum: Medici morborum cauſſas & remedia deprehenderunr: Scientiam cœli Aſtronomi, terræ Geographi hauſerunt: Reges & Principes artem gubernandi: inſtruendi aciem, caſtra metandi, obſidendi urbes, confligendi atque vincendi Belliduces: Neque Alexander tam late dominatus fuiſſet, ſi non legiſſet Homerum.

CAPUT IV.

OECONOMIA *SEU* ARTIFICIUM POETICÆ.

§. I.

Deſignatio Poematis.

XXIII.

Satis multa, ut opinor, diſſerui de idea, origine ac natura Poeticæ: nunc ipſum ejusdem artificium ante oculos eſt ponendum. Hoc ut qua par eſt,

eſt, brevitate claritateque fiat, rem totam apta ſimilitudine, quam a pictura ducam, declarare agredior, memor effati Horatiani:

Ut pictura Poeſis erit.

Ante omnia oportet, ut Pictor totius operis propoſiti delineationem mente concipiat; primo quidem rei, quam pingere animo ſibi propoſuit, vivam quandam imaginem ad naturam ejus proxime accedentem ſibimetipſi ingenio ſuo format: tum qua uti menſura, proportione, ac ſymmetria velit, ſecum ſtatuit: deſignat poſtmodum, ſi homo pingendum ſeſe offerat, qua fronte, quibus oculis, quali ore, manuum pedumque compoſitione, totiusque corporis ſitu exhibendus ſit. Non minorem curam, immo maximam adhibet, ut convenientes propoſito ſuo mores adfectionesque imagini tribuat, & nunc iracundiæ vel lætitiæ, aut triſtitiæ; nunc furoris vel clementiæ, aut amoris characteres adſpergat: verbo, velut animam inſpiret affectuum omnium capacem. Denique exteriora quoque ornamenta, veſtes, totiusque corporis habitum per colorum miſturam exprimendum decernit. Ita ſane primus Poetæ labor eſt, atque primus ingenii velut partus deſi-

deſignatio totius operis, eodem omnino, quo de pictura dixi, modo; nempe grandis, juſta, admirabilis, vivax, ingenio judicioque plena. Huic autem labori par non eſt, niſi magnum ingenium; nam mediocre, licet præceptis ſtudioque ſuffultum, poteſt quidem ſibi proponere vaſtum ac grande argumentum, ſed indoles ac vires mentis deficiunt, prohibentque, quo minus debita menſura & proportione, decore ac vivacitate, adfectionumque temperie ſecundum omnes partes ſit inſtructum. Idem enim ſpiritus per totum Poema regnet neceſſum eſt, cunctaque æquabili tenore procedant, atque ſecreta ſit partium omnium inter ſe & cum toto opere conſpiratio. Omnia hæc in Æneide Maronis tanquam oculis intueri licet. Propoſitum erat ejus Auctori populum Romanum, gentium Victorem ac Dominum a nobiliſſima & vetuſtiſſima origine, moribus, rebus geſtis celebrare. Unde verſus illi:

Dum conderet urbem,
Inferretque Deos Latio, genus unde Latinum,
Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.

Et rur-

Et rurſum :

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium ſine fine dedi.

Præcipue vero Julii & Auguſti Impp. honoribus ſervire Muſam ſuam voluit : ſiquidem Jula gens ad Æneam ipſummet, ſive ad Julum Æneæ filium genus referebat.

Naſcetur pulchra Trojanus origine Cæſar,
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris.
Julius a magno demiſſum nomen Julo.

En grande propoſitum Vatis Mantuani ; nihil in eo infirmum, inane, ſuperfluum, minutum, imperfectum : ſed totum felix, juſtum, proportionatum, plenum, & cunctis abſolutum Poeticæ numeris : ubique elucent perſonarum actionumque, quas proponit, characteres optimi ; vivæ imagines rerum diverſiſſimarum, quas deſcribit, pulcherrimaque morum & virtutum exempla, quibus poema ſuum illuſtrat ad totius Philoſophiæ invidiam, quemadmodum eleganter Pontanus & Scaliger[1], dum in Æneaden com-

mentantur, obſervant: ipſas actiones animorum motibus & adfectionibus, quas paſſiones vocant, tam dextre permiſcet, ut ſponte ſua nec invitatæ videantur occurrere: iis nec Deos Deasque vacuos eſſe concedit. Demum nec exterioris ornatus unquam obliviſcitur, ſed ad omnem non ſolum munditiem, & decorem, verum etiam elegantiam & magnificentiam poema totum exornat. Hæc omnia luculentius in decurſu, & per ſingulas partes hujus capitis patebunt.

§. II.

Fabula Poematis.

XXIV.

Dum fabulam nomino, neutiquam animus eſt, excludere veritatem a poemate: immo iſtud, ut recte ſit conſtitutum, ex duabus partibus, ex veritate ac fictione componatur neceſſe eſt. Veritas eſt veluti corpus; anima vero fabula. Si nil, niſi quod verum, Poeta caneret, non placeret: ſi autem niſi quod fabuloſum, non audiretur. Utrumque igitur conjungat oportet. Sic enim utile miſcebit dulci: utilitatem adferet veritas, dulcedinem fictio adſperget. Exemplum hujus

jus rei longe illuſtriſſimum habemus de. nuo in Æneide Virgilii. Veritas quam ſibi propoſuit Poeta hic, atque per duodecim omnino libros felici vena circumduxit, eſt Romani origo Imperii, per bella & victorias aucta, fines per inita fœdera dilatati, totiusque regiminis Imperatorum, præcipue Julii & Auguſti, pietate, juſtitia, prudentia & fortitudine ſtabilita felicitas. Audiamus nunc etiam fabulam ex Pontano: Æneas Anchiſe & Venere procreatus, præſtanti virtute & religione Vir, Troja patria hoſtiliter devaſtata, ſibi ſuisque novam ſedem fato quæſiturus, multis annis terra marique peregrinatur, atque a Junone, reliquiis etiam illis Trojanorum infenſiſſima, diverſis modis exagitatur. Tandem poſt graves ac diuturnos labores exantlatos, in Italiam divinitus ſibi deſtinatam venit; ubi periculoſo bello confecto, hoſtium Duce occiſo, ſibi regnum, ſuis certa fixaque domicilia conſtituit. Hujusmodi actionis inventio, ſeu hujusmodi actio, vel omnino vel magnam partem effecta, fabula dicitur, ab Ariſtotele μῦθος, quam definit τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων, rerum coagmentationem ſive conſtitutionem. Porro fabulam, quæ ſervit

gumento poematis, in *ſimplicem* & *compoſitam* dividit idem Ariſtoteles, omnium conſenſu etiam hac in arte Magiſter: ſimplicem vocat, quæ nullam habet fortunæ mutationem, ut Promethei apud Æſchylum, & apud Senecam Herculis; ſed hanc reprobat Philoſophus, utpote varietate deſtitutam: compoſitam vero, in qua bonam fortunam ſiniſtra, vel ſiniſtram bona excipit, & tragico vel læto exitu veluti coronat, quemadmodum Oedipi apud Sophoclem; & hæc ſola placet, ſi geminas partes includat, quarum unam vulgo *involutionem* alteram *evolutionem* adpellant. Prima per inopinatos caſus, variique generis fata res ita miſcet atque perturbat, ut nullus e labyrintho exitus patere videatur: ſecunda vero turbatis rebus quietem ac ſerenum reſtituit, & cum Ariadne filum porrigit, quod viam monſtret, atque ad exitum perducat. Totum id, quod mutationem fortunæ præcedit, dicitur *involutio*, & omne illud, quod mutationis hujus cauſſa eſt, vel eam ſequitur, *evolutio* nuncupatur. Ita Æneas apud Virgilium, patria extorris, exutus fortunis omnibus, mari jactatus ab uno orbis angulo in alium, deſtitutus omni auxilio, ubique perſequente fugitivum Junone infeſta, alios-

aliosque in ipsum Divos concitante, demum post varios casus, post mille pericula, maximæ potentissimæque Monarchiæ conditor factus est. Ecce! fabulam Æneidos cum sua epitasi, & catastrophe, ut Græci vocant, seu involutione evolutioneque.

XXV.

Ut autem Fabula sit rite constituta, opus est geminis dotibus, *admirabilitate* ac *verisimilitudine*. Nec abs re: duo enim sunt genera hominum, quæ Poesi delectantur: populus & sapientes. Illis nil placet, nisi quod admiratione dignum, ac fidem excedit, istis nil quod est supra fidem, nec verosimile. Mirabile vero dicimus id, quod contra communem naturæ cursum evenit: verosimile, quod est publicæ opinioni conforme. Utrumque scite junxerunt Homerus & Virgilius: iste quidem, dum naves Æneæ a Dea Cybele in Nymphas fuisse conversas: ille autem, dum Nioben post tot filiorum suorum funera in rupem a Latona mutatam fuisse finxit. Ambo eventus sunt vere mirabiles; quia tamen divinitas quædam sese immiscuit, cujus vires ejusmodi metamorphoses communi suffragio non excedunt, idcirco etiam verosimiles

habentur. Idcirco non horrent Poetæ, interdum ad *machinam* ut vocant, ſeu ad Deum confugere, caute tamen, ut monet Horatius:

Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
Incidерit.

Sed præter has geminas dotes, ut Fabula ſit perfecta, requirit etiam Epiſodia, quæ in poemate condendo neutiquam ſunt prætermittenda, quum Ariſtoteles ipſam Poeſin in μῦθον & epiſodia diſpertiat: & quoniam admirationem dare jucunditatemque legentibus Poetæ quærunt, id parvo negotio perficiunt, multas paſſim res attexendo, quæ cum ratione illa principe non pugnant quidem, tamen adventitiæ, & non neceſſariæ ſunt. Certum autem eſt, absque iis narrationem actionemque ipſam pertenuem, jejunam atque aridam fore. Hujusmodi epiſodia apud Maronem ſunt obvia: Junonis furor & colloquium cum Æolo Ventorum Principe: Jovis prædictio de Romanorum poſteritate, & Romani nominis gloria, de regno Albæ futuro (b) de everſione Trojæ. (c) Amans Dido (d) Ludi ad tumulum Anchiſæ (e) Æneæ

(b) *Lib.* 1. (c) *Lib.* 2. *toto.*
(d) *Lib.* 4. *toto.* (e) *Lib.* 5.

Æneæ deſcenſus ad inferos, ubi de Albanis & Romanis multa. (f) Caci & Herculis certamen, deſcriptio Clypei, in quo ſeries rerum a Romanis gerendarum erat opere celato conſpicua (g) Amicitia Niſi & Euriali (h) Concilia Deorum, Fœderum ritus & ſimilia (i) quæ quidem ad augendam illuſtrandamque fabulam cum legentium inſatiabili voluptate a Virgilio ſingulari ingenio & excellenti prudentia inſperguntur.

§. III.

Mores & animi Adfectiones.

XXVI.

Quemadmodum pictura facies hominum ope lineamentorum rite ſciteque ductorum oculis intuentium repræſentat, ita Poeſis hominum indoles & ingenia per expreſſionem morum ſpectanda exhibet. Hoc ut debito modo fiat, cujuslibet perſonæ characteres ſunt obſervandi: atque in primis animi ſenſus, quales in Principe ſunt liberalitas, affabilitas, clementia & agendi ratio majeſtate plena: contra in ſervo obedientia, promptitu-

(f) *Lib.* 6. (g) *Lib.* 8.
(h) *Lib.* 9. (i) *Lib.* 10. 11. 12.

ptitudo, animi demiſſio cum humili ſenſu : in milite audacia, magnanimitas, conſtantia cum quadam ferocitate : in fœmina ambitio, vanitas, timiditas, inconſtantia, mentisque levitas : in ſene tenacitas, tarditas, circumſpectio, pronus ad ſuſpiciones animus. Sic Achilles apud Homerum ab exercitu Græcorum recedit, non ſine magno hujus detrimento, quia iræ fuit obnoxius & ab Agamemnone offenſus : apud Virgilium Æneas patrios Deos ſecum aufert in Italiam, ut eorundem cultum ibi ſtabiliret, quia pietati deditus erat : Medea apud Senecam trucidat infantes, quia vindictæ cupido illam in extremam crudelitatem præcipitem egit. Hos autem morum characteres e veterum ſcriptorum monumentis depromendos eſſe monet Horatius :

Scriptor honoratum ſi forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Jura neget ſibi nata, nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion, Io vaga, triſtis Oreſtes.

Dein-

Deinde opus eſt, ut mores, quos Poeta perſonis tribuit, ſint conformes naturæ. Quapropter intimos cordis humani receſſus probe perſpectos habeat, ſicuti Homerus habuit vaterrimi Ulyſſis, & tam fidelis quam aſtutæ Penelopes: & Virgilius flagrantis tacito amore Didonis, ac Sinonis doloſi. Denique in moribus effingendis ætatis quoque, ſexus, dignitatis ac fortunæ ratio vel maxime habenda eſt, uti rurſum monet Horatius:

Si plauſoris eges, &c.
Ætatis cujusque notandi ſunt tibi mares. (k)

Hinc aliis coloribus Rex Latinus, & Turnus ferox Juvenis: aliis Dido & Camilla Amazon: aliis Achates armiger, & Æneas a Virgilio depinguntur. Huic ante omnes alios Poetas in morum imitatione tractationeque nunquam perſonarum characterem egreſſo palmam tribuit Varro. Et cur non? vel ſolum Æneæ ſimulacrum, quod effinxit, intueamur, quemadmodum id denuo Pontanus & Scaliger delinearunt: In eo prudentiſſimi, religioſiſſimi, fortiſſimi Principis vivam imaginem & ideam proponit, cui exploratum ſit, quid ſequi, quid vitare aut

(k) *In Art. Poet.*

ſugere in omni rerum commutatione debeat : qui rebus adverſis non ſuccumbat, ſecundis & ad votum fluentibus non intumeſcat : periculis communibus atque præſentibus caput objectare non reformidet : cultu divini Numinis, pietate in parentes nihil antiquius habeat ; ſubjectos tanquam Pater filios amet.

XXVII.

A moribus ad adfectiones pergamus, ſine quibus Poeſis frigida & absque ſucco eſt, & ut Quinctilianus ait : (1) *Sine quibus cætera nuda, jejuna, infirma, & ingrata ſunt ; adeo velut ſpiritus atque animus eſt in affectibus.* Hi enim characterem quemdam admirabilitatis afflant poemati per tacitos ſecretosque motus, quos animis legentium imprimunt. Ars vero concitandi hoſce motus in eo poſita eſt, ut dignitati, nobilitati atque ingenio perſonarum, quibus adfinguntur, perfecte accomodentur. Qua in re denuo excellit Virgilius, præcipue in colloquiis Deorum Dearumque. Quis enim non indignetur, ſi ſuperbam iratamque Trojanis Junonem ad eos omnino perdendos coram Jove perorantem audiat cum dominatione aliqua & arrogantia plus quam mulie-

(1) *Lib. 2. Cap. 6.*

muliebri? contra quis non ad miſeratio-
nem flectatur, ſi Venerem cum parvulo
Cupidine intueatur ad ejusdem Jovis tribu-
nal lacrymis perfuſam, & verbis utentem
ad emoliendum ſeveriſſimi etiam Numi-
nis pectus natis factisque? Quis Jovem
percipiat ſine admiratione æquitatis at-
que prudentiæ, talia fundentem re-
ſponſa, ut neutram offendere par-
tem, ſed conciliare utramque velle vi-
deatur, totumque grande negotium
fatorum ordini, æternisque conſiliis
permittat? Non tamen ſatis eſt Poe-
tæ, ut varios animorum motus excitet:
ulterius eundum, & affectus per occul-
tas ſemitas eouſque impellendi promoven-
dique, quouſque pertingere poſſunt, id
eſt, uſque ad ſupremum apicem, ultra
quem nequeant progredi: Heic grandi
opus eſt tum imaginatione tum medita-
tione: illa quidem, ut ideas humanarum
adfectionum quam vivaciſſimas mente con-
cipiat: hac autem, ut eas recte conce-
ptas exquiſitiſſimis ſententiis, verbisque
fortiſſimis exprimat. Exemplis rurſus
utor Virgilianis, per quæ brevior via eſt,
quam per præcepta. Nihil Junonis ira in
primo libro ferventius, nec illo loco de-
pictis in pariete conflictibus Trojanis cum
quadam commiſeratione quidquam jucun-
dius.

dius. Nihil libro toto ſecundo (præſertim de cæde Priami) magis tragicum. Quam ſuaviter Creuſam uxorem, & patrem luget Æneas? Interitus Didonis & lamentatio illa extrema in quarto libro vix ſine lacrimis legitur. Pars ultima libri ſexti de immatura morte Marcelli Auguſtum & Octaviam tanto dolore incendit, ut Poetæ carmen recitanti ſilentium imperarent. Horribilia ſunt, quæ de morte Mezentii & Turni commemorat. Amantis fœminæ inſania nec expreſſa eſt, nec exprimetur unquam divinius: quamobrem quartus liber ingenioſiſſimus habetur. Ne longior ſim, non eſt ullum genus motionum, timoris, lætitiæ, iræ, odii, pietatis, doloris, humanitatis, grati animi, quam non Poeta noſter cum arte ſumma, & ingenii facultate eximia quaſi penicillo in Æneide ſua ſit imitatus. Ita Pontanus. Verum interrogat nonnemo, dum Poeta nunc iracundiam concitat, nunc fletum excutit, nunc odium inflammat, nunc dolorem, timorem, & alias demum adfectiones lætitiæ delectationique contrarias commovet, dum inquam hæc liberaliter facit, qua ratione delectet aut delectare poſſit, quod proprium eſt illius officium? At facile reſpondet idem Pontanus; etiam in iſtis moti-

motibus Poetam delectare, non certe, quia crudelitas, ira, horror, metus habeant ullam in ſe voluptatem; ſed quia dulce eſt hominibus ipſum artificium, quo quidem ad iſtiusmodi affectus volentes ac nolentes ſe impelli ſentiunt. Ipſum porro artificium eſt ſcita & accurata imitatio, quæ ut ait Plutarchus, ſive pulchræ ſive turpis rei ſimilitudinem exprimat, laudatur.

§. IV.

Dictio Poetica.

XXVIII.

Etſi nativa gaudeat pulchritudine poema, inſignitum fabulæ bene ordinata ſtructura, decenti morum imitatione, ac eleganti affectuum varietate, neutiquam tamen exteriorem reſpuit aut negligit cultum; ſed formoſæ inſtar Helenæ de mundo quoque muliebri ſibi proſpicit, quo ornatior in publicum prodeat, & tot procorum intuentium oculos in ſe rapiat. Hunc autem exteriorem ornatum Poemati conciliat ſtylus ſeu dictio Poetica, quam alii eloquentiam ſive Rhetoricam huic arti propriam nominant. Simplex quidem prima fronte apparet, ſed

ſed reipſa multiplex eſt, eritque operæ pretium, enumerare ſingulas illius dotes, easque quam fieri poteſt, aptiſſimis exemplis illuſtrare.

Primum obtinent in dictione locum expreſſiones quædam fortes, quæ a communi modo loquendi longiſſime recedunt, absque tamen adfectatione, oſtentatione-ve, ſed quæ nobili ac grandi ſpiritu ſuſtententur, quæque poſſint æquare ideas Poetæ, qui operis ſui conditor eſt. Nam ut Horatius docet: (m)

Non ſatis eſt puris verſum deſcribere verbis.

Unum alterumve præ mille aliis exemplum hujus rei adferre liceat ex Marone.

Iliacos iterum demens audire labores
Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore. (n)

Nimirum Regina Dido amore flagrans ſatiari non potuit narratione fatorum, quibus Æneas relicta Troja, terra, marique jactatus fuit: hinc *pendere* dicitur ab ore narrantis.

Regi-

(m) *In Epiſt.* (n) *Æneid.* 4.

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum exspectant, ostroque insignis & auro
Stat sonipes, & fræna ferox spumantia mandit. (o)

Quam eleganter equi generosi, velut indignantis moræ diuturniori Dominæ suæ, indolem exprimit !

Secundo loco poni meretur circuitio, seu ambitus quidam verborum, quo pluribus brevissima alias sententia exponitur circumstantiis vestita : ita dum orator dicit arare seu colere terram, Poeta canit :

Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer.
Excercetque frequens tellurem, atque imperat arvis. (p)

Tertia dictionis dos est numerus & harmonia versuum : ars sane paucis cognita, in qua excelluit Homerus, fortassis propter dotem græci sermonis, velut sponte sua ad sonum harmonicum decurrentis;

(o) *Ibid.* (p) *Georg.* 1.

rentis ; quum latina lingua ſeverum quid ſpiret : religioſe tamen non minus quam feliciter Homerum , uti in cæteris , ita etiam in hoc imitatus eſt Virgilius , ſi non ſuperavit , dum canit :

Luctantes ventos , tempeſtatesque ſonoras
Imperio premit. (q)
Ipſius ante oculos ingens e vertice pontus
In puppim ferit ; excutitur , pronusque Magiſter
Volvitur in caput. (r)
Sternitur , exanimisque tremens procumbit humi bos. (s)

Qui verſus numero ſuo tempeſtatis, Navarchi excuſſi , & bovis cadentis ſonitum imitantur.

XXIX.

Quarto loco numeranda venit figura , quam Repetitionem vocant, quæ tum ad elegantiam verſuum , tum ad expreſſionem variorum affectuum mire conducit. Ita Virgilius :

Ambo

(q) *Æneid.* 1. (r) *Ibid.*
(s) *Æneid.* 10.

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo. (t)

Bella, horrida bella,
Et multo Tyberim ſpumantem ſanguine cerno. (u)

O mihi ſola mei ſuper Aſtyanactis imago;
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat. (x)

Cum procul obſcuros colles, humilemque videmns
Italiam. Italiam primus conclamat Achates,
Italiam læto ſocii clamore ſalutant. (y)

Primum exemplum gratiam verſui conciliat; alterum horrore belli animum percellit: reliqua duo doloris & lætitiæ affectum fortiter exprimunt.

Quinta dos eſt Epithetorum gratia, quibus frequentius, majoreque cum libertate Poetis licet exornare ſermonem ſuum pedibus ligatum, quam Oratoribus ſolutum. Nam quod apud iſtos in hoc genere ſuperfluum, apud illos liberale ac pulchrum cenſetur:

Quoties

(t) *Ecloy.* 7. (u) *Æneid.* 6.
(x) *Æneid.* 3. (y) *Ibid.*

Quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties aſtra igneæ
ſurgunt. (z)
Celeres mandata per auras
Detulit ipſe: Deum manifeſto in lumine vidi. (a)
Atros ſiccabat veſte cruores
Illa graves oculos conata extollere, rurſus
Deficit. (b)

Quæ omnia epitheta ſuperfluerent in oratione, carmini vero magnam gratiam amœnitatemque conciliant.

Sextum ſtyli ornamentum ſunt breves deſcriptiones, quandoque etiam longiores narrationes, ceu vivæ rerum imagines.

Ergo Iris croceis per cælum roſcidæ pennis
Mille trahens varios adverſo ſole colores
Devolat. (c)
Poſt bellator equus poſitis inſignibus Æthon
It lacrymans, guttisque humectat grandibus ora. (d)

Quis

(z) *Æn.* 4. (a) *Ibid.* (b) *Ibid.*
(c) *Ibid.* (d) *Lib.* 11.

Quis non heic oculis intueri ſe credat iridem cum adparatu colorum ſuorum, atque luctum in funere cum equo ſentire.

Dixit, vaginaque eripit enſem
Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes ſimul ardor habet; rapiuntque ruuntque,
Litora deſeruere: latet ſub claſſibus æquor:
Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt (e)
Talia flammato ſecum Dea corde voluntas,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus auſtris
Æoliam venit, hic vaſto Rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempeſtatesque ſonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt, &c.
At venti velut agmine facto

(e) *Lib. 4.*

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a ſedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad litora fluctus.
Inſequitur clamorque Virum, ſtridorque rudentum.
Eripiunt ſubito nubes, cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præſentemque Viris intentant omnia mortem. (f)

Viva ſane repræſentatio claſſis e portu ſolventis, in qua præ reliquis ille verſus non ſine admiratione legitur, in quo tot remigum niſu ſpumare fretum, totque remis velut ſcopis everri mare dicitur. Rurſum in altera narratione quam belle deſcribitur antrum, ubi venti, nimborum cauſſæ, concluſi tenentur? Præcipuam merentur attentionem expreſſiones illæ; *loca fœta furentibus auſtris: Luctantes*

(f) *Æneid.* 1.

Flantes Ventos: illi indignantes. Demum tempeſtati ipſi tum in mari, tum in aere excitatæ quam horrificam faciem tribuunt ventorum pugna & turbo, tonitrua & fulmina e cœlo cadentia, & præſentis imago mortis?

XXX.

Ultimum inter dictionis elegantias locum tenent orationes breves, quas per diminutionem oratiunculas vocant. Has non temere operi ſuo inſerunt Poetæ, ſed loco perquam opportuno, nec ſine conſilio: nimirum ut fabulæ ſuæ argumentum fortiter ſuſtentent, & feliciter ad exitum perducant; & quamvis artificio carere videantur, eo tamen abundant, ſi rite expendantur. Plerumque exordio, propoſitione, confirmatione ac peroratione conſtant, tanquam partibus cuivis orationi bene ordinatæ convenientibus. Exemplo ſit ea, qua Venus apud Virgilium Jovi pro Trojanis ſupplex fit. (g)

O qui res hominumque Deumque
Æternis regis Imperiis, & fulmine terres.

En! bre-

(g) *Æn. Lib.* 1.

En ! exordium a potentia Jovis ductum, quo Numen iſtud ſupremum ſibi ſuisque facile ac beniguum reddere conatur :

Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere ? quibus tot funera paſſis
Cunctus ob Italiam terrarum claditur orbis.

Rem proponit maximi momenti, quam apud excelſum Tribunal iſtud evincere ſtudet : ſcilicet ne poſt tot calamitates ab Italia tot votis ſuſpirata Trojani excludantur :

Certe hinc Romanos olim volventibus annis
Hinc fore ductores, revocato ſanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus : quæ te Genitor ſententia vertit ?

Primum ducit Venus argumentum a fide tanti Numinis ac pollicitatione ſibi facta, quod a ſanguine Trojanorum Romani originem ſuam ſint ducturi.

Hoc equi-

Hoc equidem occaſum Trojæ, triſtesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot caſibus actos
Inſequitur: quem das finem Rex magne laborum?

Argumentum ſecundum petit a fatis, & juſtitia, qua Juppiter damnum, quod in gratiam Palladis incenſa everſaque Troja paſſi ſunt Teucri, reſarcire tenetur permittendo, ut alteram in Italia Trojam condant.

Antenor potuit mediis elapſus Achivis
Iliacos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi, &c.
Hic tamen ille Urbem Patavi, ſedesque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit, armaque fixit
Troja: nunc placida compoſtus pace quieſcit.
Nos tua progenies, cæli quibus annuis arcem,

Navibus (infandum) amiſſis unius ob iram

Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.

Tertium argumentum ſuppeditat comparatio (& quidem ut Philoſophi loquuntur, *a minori ad majus*) nempe ſi Antenori Trojæ proditori licuit ſedem figere in Italia, & Patavinam urbem condere, cur non pio Æneæ regnum in Italia ſtabilire liceat?

Hic pietatis honos? ſic nos in ſceptra reponis?

Ecce! breviſſimam ſimulque patheticam perorationem, a pietate, honore, æquitate ductam, quæ plus in Viri & Tonantis animum potuiſſe viſa eſt, quam ſi neſcio quas preces & lacrymas amoresque ad expugnandum Jovem e pharetra Cupidinis ſui deprompſiſſet.

CAPUT V.

DIVERSA POEMATUM GENERA

§. I.

Epopeja.

XXXI.

Hucuſque de Poetica univerſe, deque illius interiore exterioreve cultu ornatuque, ac præcipuarum dotum comitatu actum eſt. Nunc juvat ad ſingularia deſcendere, diverſaque Poematum genera in conſpectum dare. Quamvis enim in illis idem artificium relucere oportet, de quo paullo ante diſſerui, proprios tamen ſingula characteres habent, quibus inſignita inter ſe differunt, ac dignoſcenda ſe præbent, non ſecus ac ſtellæ in cœlo, licet totum earundem luce ardere ac corruſcare videatur. Non tamen hac in re conſentire animadverto Auctores, qui artis hujus præcepta cala-

mo complexi ſunt. Alii bifariam diſtribuunt Poema, in *Epicum* ſcilicet ac *Dramaticum*; illud in narratione conſtituunt, dum loquitur ipſe Poeta, ſuaque voce utitur, vel certe calamo exprimit animi ingeniique ſenſa, quæ propitia Minerva concepit: iſtud vero in actione, quæ repræſentatur in theatro, in quo aliorum ore Poeta loquitur, nempe perſonarum, quibus ligatos ſermones ſuos concredit, publice cum decenti actione producendos. Referunt autem iſti ad carmen Epicum Elegias; Satyras, Odas, Epigrammata, &c. ad Dramaticum Tragœdiam & Comœdiam. Alii vero ſunt, qui Poema dividunt in *Perfectum*, quod complectatur Epopejam, Tragœdiam, & Comœdiam, quibus adſociant Satyram, Eclogam, Odén & Elegiam: & *Imperfectum*, cui tribuunt reliqua minorum gentium carmina, Epigrammata, Rhythmos, Hymnos, Emblemata cum adjuncto lemmate, &c. Sed parum refert, qua ratione, quasve in partes diſtribuas Poema. Majoris momenti eſt, ſingulorum naturam & dotes exponere. Igitur Epopeja ſeu carmen Epicum omnium conſenſu maximum & nobiliſſimum Poetices opus eſt. Hujus enim magnitudinem excelſamque indolem triplici ex capite metiri

tiri licet. Primum quidem ex materia, quam nonniſi Principum, Regum atque Heroum inſignia facta ſubminiſtrant, uti dudum advertit Horatius in arte Poetica:

Res geſtæ Regumque Ducumque, & triſtia bella,
Quo ſcribi poſſent numero monſtravit Homerus.

Ita Ulyſſes, Achilles, Penelope apud Homerum, apud Virgilium Æneas, Dido, Rex Latinus, Turnus, Lavinia in theatro comparent. Deinde ex fine, quem ſibi proponit, nempe ut perfectam virtutis imaginem, optimam morum normam, & Rempublicam recte gubernandi grandem ideam legentium animis imprimat: Demum ex ipſius Poetæ ingenio, quod veluti tributum ingens ad opus tam excelſum adferre ſecum debet. Nihil heic mediocre, nihil infirmum ac humile, nihil inconcinnum ac leve, ſed ingenium vaſtum & felix in inveniendo, judicium in diſponendo maturum & ſapiens, facultas imaginandi fingendique prompta, mirabilis & feſtiva verbo, temperies, aut ſi fas eſt dicere, temperamentum quoddam cœleſte cum impetu aliquo, calore

lore ac œſtro vere poetico permixtum in toto Poemate adpareat neceſſe eſt. Hinc veriſſime dixit, qui aſſeruit, integra quandoque ſecula parturire, donec ingenium par Epico carmini, tamque ſublimis rei capax pariant, vixque ſufficere ad formandum Poetam Heroicum. Verum præter has aliæ dotes ſunt Poemati huic cognatæ. Inter has facile princeps eſt *unitas* actionis heroicæ, quæ nimirum juſtam temporis menſuram, debitam rerum narrandarum magnitudinem, aptamque membrorum proportionem certis quaſi finibus intra ſe contineat. Neutiquam tamen hujus unitatis ea eſt indoles, ut varietatem, Charitem illam Poeſeos pulcherrimam, excludat; quam parum diverſi generis ornamenta, & Architectonicæ parerga reſpuit grande ædificium, dummodo uno eodemque ordine, primaque deſignatione ſingula ſuo loco aptentur. Quare nil prohibet, quo minus Poeta pugnas, victorias, pacis fœdera, commercia, terreſtria maritimaque itinera, conſilia, deliberationes, ædium ac urbium ſtructuras, mores populorum, hominum adfectiones, agnitiones improviſas, non exſpectatos eventus, diverſas rerum imagines, cuncta denique, quæ ad exornationem operis ſui faciunt, maturo conſi-

conſilio intermiſceat, modo ad unum eundemque ſcopum tendant, nec iſte unquam ex oculis dimittatur; ſecus enim accideret, quod deplorat Horatius. (h)

Et magna profeſſis
Purpureus late qui ſplendeat unus & alter
Aſſuitur pannus.

Quapropter epiſodia ſeu quas Latini digreſſiones vocant, tunc pretio non carebunt, ſi cum principali actione quodam naturæ vinculo ita colligantur, ut unum cum ea opus conſtituant, & cum certa quadam utilitate adhibeantur, qua eadem actio quaſi ſuſtentetur; cujus rei exemplum illuſtre habemus in ſatis longa illa digreſſione Virgiliana libro II. & III. dum Æneas Didoni Trojæ everſæ, ſuaque fata cum admirabili ſenſu voluptatis enarrat, qui poſtea in vetitos ignes degenerans grande amoris inſanientis theatrum aperuit.

XXXII.

Conſtituta ſic unitate actionis ſeu argumenti, ſequitur *Narratio*, in quam Epici carminis dotem Poeta omnes vires ſuas

(h) *In Art. Poet.*

ſuas, omnesque artis theſauros conferat oportet. In hac nihil quod ſuperfluat, nihil quod langueat, nihil quod extra præſcriptos limites vagetur, appareat: heic naturæ ductum ſequi vel maxime decet Poetam, & ſimplicitatem quandam adfectare, ſub qua tamen grande lateat artificium, quo temporis ordinem tacite confundat, ita ut quæ prius contigerunt, poſteriore loco, ac viciſſim exponat, quemadmodum Virgilius, dum non a Trojæ excidio poematis ſui ordinem ducit, ſed a navigatione in Italiam, quæ primum ſubſecuta eſt illud excidium, cujus tamen prolixam poſtmodum narrationem Libro II. producit. Atque per hanc temporum rerumque artificioſam perturbationem poema heroicum differt ab hiſtoria, in quam tranſiret, ſi ſuo quæque ordine recenſerentur. Præterea gratiam narrationi ſuæ adflare debet Poeta per figuras, tranſitiones & ambitus ſubtiles amœnosque, qui lectorem ab uno eventu ad alium quaſi non advertentem cum magna aviditate voluptateque circumducant, quin tamen unquam ejus nova miraque intelligendi cupiditatem exhauriant. Sed parum iſta promoverent Epopeiæ felicem curſum, niſi accederet anima vitaque, nimirum fictio ſeu

fabu-

fabula, dos præcipua, quæ per totum poematis corpus ſeſe diffundere debet, & quaſi ſpiritus vitales per omnia ipſius membra diſpenſare, uti ſcite monet Petronius dicens: *Per ambages, Deorumque miniſteria præcipitandus eſt liber ſpiritus.* Et quoniam ſatis multa de hac re (i) univerſim diſſerui, illud ſolum heic adnotaſſe ſufficiat, præcipuam fictionis vim atque virtutem in eo poſitam eſſe, quod res ſuapte natura exiguas & humiles faciat grandes, & illuſtrem quemdam characterem iisdem imprimat non ſine admiratione. Geminum exemplum e Græcæ ac Latinæ poeſeos heroibus Homero & Virgilio adducere fas erit. Agamemnon Achilli per vim & fraudem abſtulit Briſeidem, quam deperibat. Ecce! rem nihili, & ad nugas amatorias amandandam! quam tamen Homerus mirum quantum extollit in Iliade (k) dum Thetidem Achillis matrem ad pedes Jovis advolutam fingit, lacrymis & gemitibus perorantem pro filio ſuo adverſus Agamemnonem, quibus Jovis aures & animum ita implevit, ut obnitente Junone totum fere cœlum ardere, & ſtudia in contraria ſcindi viſum fuerit, non ſine grandi periculo, ni aquam incendio reſtin-

(i) *Cap. IV. §. 11.* (k) *Il. Lib. 1.*

reſtinguendo affudiſſet Vulcanus. Non minus Maro (1) ut narrationi ſuæ alias ſimplici de cæde Polydori aliquid ſublimitatis afflaret, prodigium fingit, ſcilicet cæſum ab Ænea ramum, quo aram tegeret, tertia vice atro ſanguine manaſſe, ac demum e vicino tumulo gemitus ac flebilem ſepulti ibidem Polydori vocem ad illius aures ſubito delatam fuiſſe. Similia paſſim exempla occurrunt in aliis Poetis, quamvis nec ipſa nec ipſorum auctores principibus iſtis, Homero & Virgilio ſint comparandi. Inter Græcos fama præ aliis celebrat Coluthum, qui de raptu Helenæ, Tryphiodorum, qui de capta Troja, Apollonium Rhodium, qui de expeditione Argonautarum poemata ſcripſere, neutiquam tamen nobili ſpiritu Homeri animata. Latinos inter Virgilium, quem non modico tamen intervallo relicto, ſecuti ſunt Ovidius in ſua Metamorphoſi, plus ab artificio, quam majeſtate vivacitateque commendanda: Lucanus grandi ſtylo, ſed minore judicio prædituſ: Statius nimium audax in ideis, & in verbis inflatus: Claudianus numero ambituque verſuum carens, ac granditatis argumento paris hinc inde oblitus.

§. II.

(1) *Æn. Lib.* 3.

§. II.

Tragœdia.

XXXIII.

Quamvis Poema Epicum ſuis rite inſtructum dotibus magnum in hominum animos imperium exerceat, majus tamen fortiusque eſt illud, quo Poema dramaticum latiſſime dominari ſolet. Prius enim duntaxat narrationis ac dictionis ope in mentes penetrat, poſterius autem præterea actionis miniſterio utitur; & dum illud aperta veluti fronte ingreditur, iſtud etiam tacita quadam vi per ſenſuum oblectamenta ſpectantium animis ſeſe inſinuat. Ibi audimus vel legimus Heroum res olim geſtas: heic etiam quaſi ante oculos poſitas, & præſentes intuemur. Primum hoc in genere locum ſibi vendicat Tragœdia, cujus inventum ſane divinum eſt. Docet enim moderationis freno indomitas animi adfectiones continere in officio, dum Heroum magnorum de ira, libidine, avaritia, &c. victorias ac triumphos longe meliores iis, qui de hoſtibus referuntur, palam proponit: docet homines non impune peccare, ſed ubique Nemeſin præ-

ſto eſſe ad eorum crimina citius aut ſerius vindicanda, quemadmodum in Electra Sophoclis Ægiſthus, poſtquam per plures annos de ſuo ſcelere gaviſus eſt, tandem meritas atrocesque pœnas dedit: docet fortunæ rotam nunquam eodem loco ſtare, multosque in altum tolli, ut lapſu graviore ruant, uti Hecuba apud Euripidem regiæ ſtirpis ſuæ infortunia nil proficientibus lacrymis deplorat. Hinc merito Ariſtoteles Tragœdiam, quantum ad mores emendandos adtinet, Philoſophiæ præfert, quum hæc morum præcepta quidem optima verbis proponat, illa vero per ſenſus mentem inſtruat, & affectus corrigat per ipſos affectus, excitando primum varios in corde motus, perturbandoque, tum vero quietos reddendo, ac juſtam temperiem inducendo, non ſecus ac in mari contingit, quando ſævis ventorum ac fluctuum præliis demum malacia ſuccedit. Et vero non facile quis inficiabitur, Ariſtotelem hac in arte Magiſtrum fuiſſe, dum præ reliquis omnibus exquiſitiſſimas regulas præſcripſit tractandæ Poeſeos Dramaticæ: Primum, qua ratione Tragœdia evagantes animi adfectiones intra certos limites cohibeat, oſtendit; tum quoque methodum, qua

hoc

hoc ipſum cum delectatione fieri poſſit ac debeat, palam facit. Utrumque paucis ut perſequar, operæ pretium erit. Duos e cæteris pravos affectus per Tragœdiam emendari oportet, ſuperbiam nempe ac duritiem cordis: prima facile ſubjugatur, ubi theatrum exhibet magni cæteroquin Viri per fas & nefas multis interve-nientibus machinis ad ſublime honoris cul-men graſſantis ſubitum & tragicum caſum, ita ut dum jamjam vertice ſidera tangere ſe autumat, cum Icaro in profundum mer-gatur: altera vero, ſi homines optima indole prædiți, & virtutis æquitatis-que ſtudioſi ſeu per aliorum injurias, ſeu per ferrea fata, dum vel maxime melio-ri ſorte digni creduntur, gravibus peri-culis, calamitatibus & ruinis involvun-tur, fruſtra obnitentibus amicis & bonis omnibus. Similia namque ſpectari vix poſſunt, quin tum alas demittant ambi-tioſi, tum ſaxea quorundam pectora emol-liantur. Quoniam vero ipſa natura ple-rumque hominis cor ita formavit, ut ti-miditati ac miſerationi pervium eſſet, ad-modum proclive eſt, ut in molitiem nimiam flectatur, aut in ignaviam dejiciatur, quorum poſterius mentis firmitatem ve-hementer hebetat, prius vero æquitatem

infringere ſolet. Verum & huic malo medelam adfert Tragœdia, dum homines ejusmodi, quorum memini, ſpectaculis crebro ipſorum oculis obverſantibus quaſi tacite admonentur, quin etiam ſenſim aſſueſcunt animum præparare minoribus infortuniis ac ſiniſtris caſibus, quibus longe majoribus Heroes etiam ac Principes maximos fuiſſe obnoxios palam intuentur; atque ita ceſſant timere illa, quæ tam frequenter accidere conſpiciunt: tum quoque addiſcunt non ultra æquitatem aliis compati, præſertim iis, quos propria culpa & ſceleris conſcientia in extremas miſerias, ac ſæpe fortunarum, honoris ac vitæ jacturam præcipites agit; & ſic miſerationi fines ponuntur, ultra quos cum juſtitiæ lædendæ periculo non feratur. Quis enim virtutis amorem æſtimationemque timidus exuat, ſi apud Euripidem Hippolytum per inſidias Phædræ Novercæ everſo curru raptum diſcerptumque mori videat, quum moriatur tam præclaræ virtutis, caſtimoniæ cauſſa? aut quis miſeratione tangatur, quando in Æſchyli Tragœdia Clytemneſtram ab Oreſte filio cernat occiſam ac in ſanguine ſuo ſe volutantem, quia prior Agamemnonem maritum per manus Ægiſi adulteri

ulteri jugulavit ? Quamvis igitur intra ipſius Tragœdiæ ambitum variis motibus & affectibus nunc ſpei, nunc indignationis, modo timoris, modo amoris, etiam in ſenſus exteriores redundantibus fortiter agitetur animus ſpectantium (quod præcipuum artis hujus munus eſt) ipſe tamen exitus Tragœdiæ, ad leges exactæ talis eſt, qui quod immoderatum prius erat, corrigat, & quietem, quam paullum turbaverat, menti reſtituat, relicto tamen ut ita dicam aculeo, ſeu vitii horrore, amoreque virtutis. Nempe cum Neptuno dicat Tragœdus, faciatque

Quos ego. Sed motos præſtat componere fluctus.

XXXIV.

Quam autem methodum, ut cum delectatione cuncta hæc fiant, adhibere oporteat, jam nunc ex Ariſtotele rurſus intelligamus. Totus eſt in eo Philoſophus, ut arcana pandat fabulæ ſeu fictionis, quæ uti in Epico carmine, ita etiam in Tragœdia *involutione*, *evolutioneque* tanquam partibus conſtat. Hanc in agnitione non exſpectata vel peripetia conſtituit:

ſtituit : illam vero in erroribus agnitionem præcedentibus. Quemadmodum autem errores, ita etiam agnitio vel circa rem, vel circa perſonam verſatur, ſic ut initio res aut perſona longe alia eſſe credatur, in fine vero poſt longas ambages omnino diverſa, & uti re ipſa eſt, appareat. Hac ratione, ut exemplis utar, ſuperbiſſimus mortalium Amanus fatali Mardochæum & Judæos odio proſequatur, Aſſueri Regis iram & furorem ineos accendat, totam gentem ſibi inviſam publicis tabulis certæ neci deſtinet, ſublime patibulum erigat, in quo propediem pendeat Mardochæus : ſit conclamatum de Judæorum ſalute : conſpirent omnia in eorum perniciem. Interea Mardochæi opera, & Eſtheris blandis amoribus mutetur Regis animus, reddatur exoſus Aman, cogatur honorare, quem deſpexit, ſuſpendatur demum e cruce, quam paravit Mardochæo. Ecce ! mutatam ſubito ſcenam : ſuperbia devicta jacet, triumphat innocentia. Hic error & agnitio circa rem verſatur. Quamvis autem hæc fabula ſeu fictio non ſit, ſed hiſtoria SS. Literarum auctoritate firmata, ſervire tamen optime poteſt Tragœdiæ, ac exempli aptiſſimi munere fungi. Aliud circa per-

perſonam profanam, & fabuloſum exhibeo: Iphigenia Agamemnonis Regis filia jamjam jugulanda in Tauricam regionem a Diana transfertur, ejusdemque ſacris præficitur: poſt tempus non modicum Oreſtes Iphigeniæ Frater inſania correptus jubente oraculo, ut morbo liberetur, in ejusdem templum Dianæ dicatum proficiſcitur. Verum captus, & barbara lege in exteros lata ita jubente victima deſtinatur aris ejusdem Deæ. Triſte miniſterium hoc Iphigeniæ incubuit tanquam ſacrorum Antiſtitæ: jugulandus erat ſororia manu frater, ignotus ab ignota, ſi non interceſſiſſet mutua agnitio, & Dianæ cœlo delapſæ imperium. Dici vix poteſt, quantam agnitiones iſtæ amœnitatem voluptatemquem ſcenæ tragicæ affient, ac veluti animam inſpirent, quamquam amplum affectibus diverſis campum aperiant. Dum enim errores miſcentur, indignatio, timor, impatientia ut plurimum ſeſe produnt: dum autem fit agnitio, corrigitur mox, quidquid in his motibus crudum erat, & vel lætitia, vel triſtitia jam moderata diſcediturus. Maximam autem vim cum delectatione conjuncta in ſpectantium mentes exercent agnitiones ſecundæ claſſis, ſeu

perſonarum, præſertim ſi mutuæ ſint, & per vias rite præparatas ſubito erumpant: ubi non modicam artificii partem meritc ſibi vendicat veriſimilitudo. Nam ſine hac, ut non raro contingit, Tragœdus proponet res incredibiles, dum vult exhibere admirabiles: nec quidquam magis rerum æquos æſtimatores offendit, quam machinæ præcipitatæ. Ariſtoteles, quem dixi præſtantiſſimas artis hujus regulas edidiſſe, tanquam exemplar, & prototypon Tragœdiæ proponit Oedipum Sophoclis, (m) quem fingit ignotum ſibi in itinere patrem occidiſſe: tum inſcium quoque matris thorum inceſtu contaminaſſe: denique ubi per miras ambages in utriusque ſceleris notitiam venit, patremque ſuum ac matrem agnovit, agnitus ipſe, immitia deplorans fata, infelix oculos ſibimetipſi evulſit, ne ſolem intueretur tam nefandorum criminum teſtem. Nihil hac fabula ob continuas rerum & fatorum mutationes jucundius: nihil ob eventuum implicatorum ſeriem admirabilius: nihil ob grandium ſenſuum & expreſſionum adparatum magnificentius, nihil ad ciendos vehementes affectus, præſertim miſerationis aptius. His Veterum Tragœ-

(m) *Poet. Cap.* 15.

Tragœdiis ſi comparentur, hoc potiſſimum ſeculo, quæ in theatrum producuntur a profanis hominibus non paucis, neſcio qua ratione ab illorum majeſtate utilitateque longiſſime recedant. Plerique horum Auctores placere ſe non poſſe exiſtimant, niſi affectus nimium teneros, qui animum muliebriter emolliunt, in ſcenam ſecum adferant, niſi lepores & facetias adſpergant, quæ morum diſciplinam vehementer debilitant, niſi blandos amores, & lenocinia pleno cornu effundant: utique ad gratiam curioſæ gentis fœmineæ occupandam, quæ ævo noſtro præcipuæ ſpectaculorum publicorum arbitræ volunt eſſe. Adſueſcimus ſenſim videre in theatro Heroes longe alia, quam gloriæ ac fortitudinis laude conſpicuos, nec charactere veræ magnanimitatis inſignes, ſed mulierculæ cujusdam amore inſanientes, qui ad ſubeunda ingentia pericula, mutuaque certamina, non raro cruenta, illos exſtimulet. Hercules dixeris abjecta clava ad colum ſedentes, & cum Gynæceo ducentes filum. Atque ita nova & recentia theatra ad mores potius corrumpendos inſtrui videntur, quam corrigendos, quæ tamen cura antiquorum fuit præcipua. Verum hac de re

§. III.

Comœdia.

XXXV.

Comœdiam ſcite finivit, qui vitæ communis imaginem eſſe dixit. Quippe in hac tanquam ſchola morum cenſoria virgula perſtringuntur vitia vitæ privatæ, ut corrigantur ea, quæ publicæ obeſſe poſſent, exponendo riſui actiones extra orbitam moderationis evagantes, qua ratione ſimul oppoſita vitio virtus optime commendatur. Ita Plautus vanæ ac thraſonicæ hominum oſtentationi ut mederetur, Comœdiam produxit, cui nomen dedit *Miles glorioſus.* De hac poëſis dramaticæ parte dixiſſe ſufficiat, quod Comœdia eadem fere methodo, eodemque artificio utatur, quo Tragœdia, niſi quod huic tam argumentum quam actio illuſtris & ſeria, illi vero levis & ridicula conveniat: iſta cothurnis, hæc ſoccis incedat, calceamenti quodam genere, theatro utrique proprio. Nimirum utrobique opus eſt unitate loci, temporis, actionis, decore, juſtoque perſonarum charactere, fabula *involutionem* & *evolutionem* continente, veroſimilitudine, ſty-

ſtylo poetico ac morum præceptis, nec non affectibus ſcenæ cujuslibet naturæ accomodatis. Ipſe Ariſtoteles in Poetica vix quidquam de Comœdia diſſeruit, poſtquam bene multis de Tragœdia egit, credens ut opinor, ſimilem utriusque rationem eſſe, modicoque inter ſe diſcrimine ambarum artificium diſtare. Hinc docuit quidem fiere in Tragœdia, non docuit ridere in Comœdia. Ridiculum autem Comœdiæ, ut diximus, princeps & propria dos eſt, quod tum in rebus tum in verbis reperitur, ita tamen, ut procul abſint joci ſcurriles, quibus infima duntaxat, & proſtituti pudoris plebs delectatur; ſed ubique honeſtati morum conſulatur. Id quod in rebus ridiculum eſt, præferendum ſemper illi, quod in verbis, quum hoc aures ſolum, illud autem ſenſus & animum delectatione afficiat. Utrumque qui jungere novit, omne punctum tulit. Sic *Miles glorioſus* Plauti ciet riſum tum verbis, quibus neſcio quæ grandia & inſolentia de ſeipſo jactat, tum rebus, quibus eas in anguſtias redigitur, ut ipſemet ignaviam ſuam prodere, ac oſtentationis pœnas dare cogatur. Illud vero arcanum hujus artis eſt, ut Comicus ita rem propoſi-

tam

tam exhibeat, ut auditores eo ipſo tempore, quo in theatro Comœdiam ſpectant, credant ſe in aliqua hominum ſocietate aut familia verſari, videantque ea ipſa ibidem agi, quæ aguntur in ejusmodi vita ſociali, eosdem exprimi mores, quos quotidie in aliis coram intuentur. Quare oportet, ut frequenter ſe Comicus diverſæ conditionis hominum cœtui immiſceat, ac ſtudioſe obſervet loquendi agendique modum, occultas artes, adfectiones animi, quin & fraudes ac dolos, quibus invicem utuntur, diligenter exploret, vivasque ſibi ideas comparet, eo conſilio, ut omnia hæc quaſi familiaria ſibi reddat, in rem ſuam vertat, propriisque coloribus in ſcena depingere noverit. Hoc artificio Ariſtophanes & Menander apud Græcos, apud Romanos Plautus & Terentius theatri plauſum obtinuere. Hæc ut aſſequatur, requiritur felix quædam indoles, & æmula naturæ, cujus fines nunquam egredi debet. Quapropter Terentius Plauto anteferri ſolet, quum hic, ut populo placeret, vg. avaro actiones affingat, quæ ſupra communem avarorum ſortem ſunt: ille vero intra limites naturæ ſe contineat, ac quodvis vitium in juſta magnitudine,

tudine, habituque nativo conſpiciendum præbeat, quum honeſtis beneque moratis hominibus placere ſtuduerit. Ævo priore in Hiſpania multum placuit Lopez de Vega, qui plus quam trecentas Comœdias in lucem dediſſe fertur, ſumma felicitate admirabiles, quamvis ut ipſe fatetur, ad artis regulas non admodum exactas: in Galliis vero nominatiſſimus Molierius, qui non ſolum, ut priſci Comici, ſpectatores habuit approbatoresque ſcenæ ſuæ plebem, aliosque homines otioſos, ſed nobiliſſimos quoque Viros, ipſamque urbem & Curiam Pariſienſem.

XXXXI.

Cætera in dubium revocare nefas foret, magnam fuiſſe Comœdiarum utilitatem priſcis temporibus, nam ut Donatus inquit: (n) *Comœdia multum profuit civitati, dum caveret unusquisque culpam, ne ſpectaculo eſſet, & domeſtico probro.* Sed poſtremis ſeculis degeneravit per licentiam ſuam ab avita ſimplicitate, & caſto pudore, quem dum olim incuſſit aliis, ipſa nunc fere omnem non ſine flagitio exuit. Nimirum profanæ ejus-

(n) *Lib. de Comœd.*

ejusmodi Comœdiæ, quales hodie non raro exhibentur, non jam vitæ communis imago & morum cenſura, ſed delicata animæ pernicies ſunt, quæ ipſam perimit non ſentientem. Hiſtriones dum fictos in theatro amores proponunt, veros & obſcœnos excitant in auditorum animis. Nimium, mihi credite, prona eſt juventus, ut imitetur ea, quæ tam ſpecioſe in ſcenam producuntur, & publico commendantur plauſu: nimiumque vicinus ardet actorem inter & ſpectatorem Ucalegon. Proh! quam illiberali artificio utuntur non raro Tragœdi, (ut de his quoque aliquid dicam) dum ut vitio larvam virtutis adponant, illuſtres plerumque perſonas, Heroes & Principes in theatro palam ſpectandos præbent, furtivo amore inſanientes, oblitos decoris ac majeſtatis ſuæ, qui poſtquam urbes hoſtesque domuerunt, & orbis victores evaſere, in libidinis denique ſervos & mancipia degenerarunt. Ipſos quoque Deos Deasque ſcelerum magiſtros e nubibus ſuſpendunt, ut ab omnibus videantur. Sæpius exhibent impudicam Venerem, adulterum Martem, Jovem illum cœleſtia inter fulmina ſua terreno amore nimium quantum flagrantem.

Quis

Quis hæc & his ſimilia ſpectet integer & pudicus ? quis non dicet :

Quid facient homines, audent ſi talia Divi ?

Neque illas quoque Comœdias probare poſſum, quibus ſacrum argumentum adplicant profani Choragi, pœnitentis Magdalenæ, pudicæ Suſannæ, caſti Joſephi. Equidem hujusmodi ſpectacula magis crumenæ quam innocentiæ periculoſa videntur, dum pecunias plus ſtudent e loculis, quam lacrymas ex oculis ſpectantium elicere : docetque ipſos artem Comicam magiſtra paupertas, fames aut ſitis. Interim tamen non omni res caret periculo, & non raro in pietatis herba latet anguis. Contingit enim, ut per duos Comœdiæ actus peccet Magdalena, in ultimo ſolum pœniteat : Suſanna ſæpe male veſtita eſt, molliter incedit & loquitur, & dum illa intus gemit ad fontem ac friget, rident & ardent foris Auditores. Ut nihil dicam, caſtum qui Comœdiis iſtis præfigitur titulum multas perſonarum utriusque ſexus agentium blanditias & amores tegere debere. Hoc auſim dicere : caſtiores futuros

ros fuiſſe quosdam, præſertim juvenes, ſi caſtum ejusmodi Joſephum, aut innocentiores, ſi innocentem Suſannam non ſpectaſſent.

§. IV.

Minora Poematum Genera.

XXXVII.

Poema Epicum ac Dramaticum (ſeu Epopeja, Tragœdia & Comœdia) in cœlo Poetico magnitudine ſua ac ſplendore ſuperant reliqua minorum gentium poemata, uti Planetæ ſidera ſeu ſtellas, quas vocant fixas: neutiquam tamen iſta, licet non adeo grandia ſint, oculorum noſtrorum aciem fugiunt; ſed ſuo quoque digna encomio ac memoria in medium brevi calamo ſunt adducenda, ita ut ſumma potius eorum ſequi veſtigia, quàm longis totam oeconomiam (non adeo a prioribus diverſam) ambagibus explicare animus ſit. Primum quod occurrit, eſt *Ecloga*, imago vitæ poſtoritiæ, quæ quamvis ruri nata ſit, non tamen erubeſcit Principum tecta & aulas ſubire, quemadmodum in Virgi-

lianis obſervare licet. Materia illius ſeu argumentum eſt exiguum & humile, nec indoles excelſi aliquid habet. Occupatur enim tota amoribus, ludis, mutuis certaminibus, querelis, etiam fraudibus innocuis, variisque otiis & negotiis Paſtorum. Unde characterem quoque poſtulat, & pudoris amantem, ingenium placidum, affectus teneros, motusque tranquillos, licet quandoque genus hoc carminis felle columbino non careat, & locus modicæ iræ, æmulationi, invidiæ, ſuperbiæ ac deſperationi tenuiſſimæ concedatur. Narrationes illius breves eſſe oportet, deſcriptiones curtas, cogitationes ingenuas, mores candidos & innocentes, dictionem puram, verſus fluidos ac totam methodum ſimplicem: verbo, perſonis ac rebus convenientem. Non tamen excludit Philoſophiæ ac Mathematices notitiam de ortu & occaſu ac curſu ſiderum, de geneſi ventorum, de partu animalium, de arborum & plantarum educatione, de fertilitate terræ, agrorum & vitium cultura, varietateque ſeminum ac frugum; immo hoc eruditionis genus velut proprium ſibi vendicat, & pene neceſſarium. Excelluit in hoc genere apud Græcos Theocritus, uti apud Latinos Virgilius. Prior Græcorum mo-

re

re plus candoris ac ſimplicitatis, quantumvis ruſticæ: poſterior latinæ majeſtatis nunquam oblitus plus judicii ac nobilis modeſtiæ oſtentat in Eclogis ſuis.

Satyra eſt acris & vehemens declamatio poeticis numeris concluſa, & vitiis tum vitæ privatæ tum publicæ carpendis tollendisque nata. Etimologiam nominis a *ſaturando* nonnulli ducunt, quibus Satyra idem eſt, quod ſatura, ſeu ob carminis varietatem & copiam rerum, quæ ibi tractantur, dum Poeta ab uno vituperio ad alterum cito tranſilit, ſeu quod ſatiet quaſi famem ac cupiditatem aliena crimina & pravos mores perſtringendi. Duo autem Satyrarum genera fuiſſe conſtat: Aliud antiquius, quod intra ſolam carminum varietatem ſtetit: recentius alterum, quod apertam hominum reprehenſionem, acremque vitiorum objurgationem continebat. Magnam ſane utilitatem affert Reipublicæ Satyra, ſi limites non excedat, nec in maledicentiam degeneret. Quemadmodum enim pronum eſt, eos qui paſſim laudant aliorum præſertim Magnatum ac Principum dicta factaque, adulationis notam contrahere, ita nihil tam frequens eſt, ac illos, qui nimium liberaliter in hominum

mores & vitia debacchantur, calumniatoris potius quam ſatyrici Poetæ triſti miniſterio fungi. Media igitur via quaſi inter ſcyllam & charibdin incedendum eſt, curandumque, ut vitiis larva detrahatur, & abrogetur iis apud populum fides, quam facile ob apparentem ſeu amœnitatem ſeu voluptatem inveniunt: abſtinendum autem ab iniquis ac cynicis morum cenſuris, & perſonarum criminationibus, neque elephanti e muſcis ſunt procreandi. Præcipua dos eſt Satyræ, ut acetum cum oleo, ſeu acerba vitiorum reprehenſio cum quodam lepore miſceatur, quæ genuina eſt morum corrigendorum temperies; neque omnis e morbido corpore ſanguis eliciendus, ſed noxius ſolum, aut qui ſuperfluit. Optime proficiet hac in arte, qui corruptos ſeculi ſui mores ejusmodi coloribus & forma depingit, ut irriſionem ſimul & indignationem populi mereantur. Quippe illa in ruborem dabit vitioſos, hæc vero honeſtos animos adverſus vitiorum monſtra armabit. Sed & ingenium afferat Poeta neceſſe eſt ſublime, ac grandibus cenſuris par, feſtivum, ſagax, & a potentum metu liberum: vitiorum origines, cauſſas, indolem, appendices, effectus ac triſtes exitus probe calleat, quum ex his

his fontibus omnem in reprehendendo energiam haurire debeat. Stylus ſatyræ proprius, nec niſi imitatione ſedula comparandus eſt : verſus plerumque incultis & neglectis ſtudioſe ſimiles, aliquando hiſpidi, non raro claudicantes, ſæpe etiam ulna metiendi pro varietate argumenti : ubique tamen cum forti expreſſione, ac emphaſi conjuncti. Excelluerunt in carmine ſatyrico præ cunctis aliis Horatius & Juvenalis : diverſus tamen utrique character. Primus leporibus conſpergit ſatyras ſuas, probe gnarus, plus roboris ineſſe jocis ingenioſis, quam acerbis ſententiis ad mortalium flagitia riſui exponenda. Non ita Juvenalis, qui ſemper ſeverus, ſemper iratus egregia quidem morum doctrina inſtruit Auditores, ſed vitiorum fugam non ſatis perſuadet violentis declamationibus ſuis, deſtitutus fere omni condimento. Hos longo intervallo ſequitur Perſius, proximior futurus, ſi non vehementiæ obſcuritatem quoque junxiſſet.

XXXVIII.

Elegia a græca voce ἐλεέω ſeu *miſereor* dicta, Poema eſt queſtubus & lacrymis deſtinatum : unde verſus elegi nuncupa-

bantur, quod ad fiſtulam lugubre ſonantem cantari ſolerent, aut quod his miſerabiles hominum ærumnæ, amorisque querimoniæ decantarentur, uti alibi dictum eſt. Miram dulcemque vim in mentes humanas exercet Elegia, ſi debitis inſtructa ſit dotibus, quas præſcribit Ovidius, facile princeps in hoc carminis genere:

Forma decens, veſtis tenuiſſima, vultus amantis,
In pedibus vitium cauſa decoris erit. (o)

Nimirum *Formam decentem* requirit, ſeu venuſtatem ac concinnitatem, quam adferunt ſententiæ breves quidem, ſed ingenio plenæ. *Veſtem tenuiſſimam* ſive genus dicendi non nimis grave, neque magnificum, ſed potius tenue, elegans, fluidum, pellucidum. *Vultum amantis*; quum ſit carmen flebile, & amantium more in querimonias & ſuſpiria effuſum. *In pedibus vitium*, quo ſcilicet laborate videtur diſtichon, cujus poſterior verſus pentameter brevior eſt altero ſeu hexametro, non tamen ſine artificio, quum quod

(o) *Lib.* 3. *de Triſt.*

quod in iſto grave ac magnificum eſt, per ſocietatem alterius ſimplex fit ac familiare. Porro Elegia, ut ſit numeris ſuis abſoluta, & pretium ferat, opus eſt, ut bene morata ſit, eruditione dives, & animorum motibus potens ac dominans. Hinc jure quodam ſuo ſibi poſcit crebras apoſtrophes, exclamationes, repetitiones, metaphoras, aliasque quas vocant figuras Rhetoricas. Inter Græcos celebrantur præ reliquis Philetas & Tyrtæus, quorum tamen pauca ſuperſunt fragmenta, edaci tempori ſubducta: inter Latinos eminent Tibullus, Propertius, Ovidius, quorum quisque ſuos nihilominus patitur manes. Tibullus elegantia & nitore verſuum, Propertius nobilitate ac ſublimitate conſpicuus eſt; eorum & verba & numeri, & genus ipſum orationis inter cimelia Poeſeos reponi merentur; ſententiæ vero & carminis materies chriſtianis, quin & honeſtis auribus & cordibus plerumque indigniſſimæ ſunt. Ovidius utrique præferendus & imitatione naturæ, ſimplicitateque acutiſſimo juncta ingenio, & affectuum mira varietate, fulgoreque Poetici characteris, quem ubique prodit; ſæpe tamen nimium mollis & eviratus, amorum venator ſalaciſſimus,

mus, ac vagæ libidinis præceptor peſſimus.

XXXIX.

Ode uti prima origine, ita nobilitate dictionis clariſſima eſt Poeticæ ſoboles, ὠδὴ ſeu a cantu ſic dicta, quum Deorum laudibus canendis, & celebrandis glorioſis hominum actionibus occupetur. Indoles ejus ſupra modum grandis eſt ac ſuperba; omnem ſeu in argumento ſeu in ſtylo mediocritatem reſpuit; & quidquid magnificentiæ ac maieſtatis ars Poetica in ſinu ſuo continet, quidquid nobiliſſimarum cogitationum, imaginum & ſententiarum in penu ſua reconditum habet, vix ſufficit ad elevandam, uti oportet, Oden. Unde pauca ſunt ingenia huic carminis generi apta, tamque excelſi ſpiritus, quem exigit, capacia. Fere ſolus inter Græcos Pindarus fuit, & inter Latinos Horatius, qui tanti nominis, Poetæ Lyrici, menſuram impleverunt. Neque tamen poſteritas magnis hac in arte Viris caret, inter quos Sarbievius Polonus, Chiabrera Italus, Ronſartus Gallus, & Balde Germanus eminent. Odarum ac Lyrici carminis diverſiſſimas ſpecies facili ac eleganti vena complexus eſt Vir in omni genere clarus

clarus, Ignatius Weitenauerus S. J. in Miſcellis literarum humaniorum, non ita pridem editis; & Lib. 2. Carm. ſelect.

Epigramma in Muſarum conſeſſu fere infimum ſubſellium occupat, & minutis carminibus accenſendum eſt. Græci conſtituerunt illud in quadam mentis cogitatione fulgida, quam ſtylo nitido & ſubtili explicabant: Latini vero in acumine ingenii, quo dictum vel factum aliquod uno alterove aculeato verbo notabant ac veluti pungebant, qui mos hodie adhuc obtinet. Ejus dotes ſunt *brevitas*; uno enim vel binis aut ternis ut plurimum diſtichis circumſcribitur: *argutia*, dum aliquid inauditum, novum, admirabile, vel tempore vel loco natum, & ſale conditum adpoſite profertur: *venuſtas* autem, habita ſcilicet ratione verborum & metri, quanta epigrammati ſatis eſt: nam ornatus nimius illi non convenit. Huic poemati operam non inutilem dederunt præ reliquis Catullus Græcorum genium delicatum ſecutus, & Martialis Latinorum more ubique aculeis formidandus. Sed paucos numerant, qui eorum vel ſequantur vel aſſequantur veſtigia.

His minoribus carminum generibus aliqui adjungunt *Emblema*, quod pictura eſt, ſeu imago aliquid ſymbolice, ſive per figuram repræſentans; unde *Symbolum* quoque vocatur adjuncto lemmate ſeu brevi dicto ſententioſo, quod figuram explicat, & viciſſim ab ea explicatur, uti navis fluctibus ſupernatans cum epigraphe: *Surgo ſurgentibus undis*, proponit virum in rebus adverſis infractum. Vel cithara digitis pulſata cum lemmate: *Irritata reſpondet amice*, exhibet hominem inter maledicæ linguæ ſpicula manſuetum, &c. Felicis ingenii partus eſt Emblema rite conſtructum, magnaque dulcedine ſenſus ſimul & animum afficit, præſertim ſi ex pluribus veluti membris unum corpus ſymbolicum conficiatur, cujus artis regulas & exempla erudite ſimul ac ingenioſe, & fere primus Boſchius noſter integro Tomo complexus eſt. Addunt alii *Ænigma*, ſeu quæſtionem obſcuritate Allegorica intellectu difficilem, qualem Ædipo a Sphinge propoſitam ferunt: Dic mihi:

Quæ mane incedit pedibus natura quaternis?

Luce

Luce bipes media ? ſole cadente tripes ?

Taceo alia carminum genera, uti Leoninum, Chronoſtichum, certis alphabeti characteribus inſignitum, atque ſimilia, quæ potius ingeniorum tormenta, & trivales Poetaſtrorum, quam Poetarum labores ſunt, qui invita Minerva & indignantibus Muſis ad tempus fallendum procuduntur. Juvat coronidem imponere adductis carminum hucuſque recenſitorum characteribus : in carmine heroico dominatur gravitas, in bucolico ſimplicitas, in elegiaco mollities & teneritudo, in ſatyrico acrimonia, in Comœdia joci, in Tragædia adfectiones animi, & ſublimitas ſuavitate temperata, in epigrammate acumen. Jam vero nobilioris Poeticæ genuinam imaginem, ni fallor, hucuſque depinxi, dum naturam illius, originem ac progreſſum, dotes, artificium, diverſaque Poematum genera pluribus expoſui, tum ut dignum de re tam dulci ſimulque utili judicium ferre diſcamus, tum ut majori in pretio habeamus adeo nobilem ſcientiam, quæ hoc ævo apud plurimos animum ad alia quæque eruditionis monumenta convertentes fere neglecta jacet, quum tamen immor-

immortales faciat cultores ſuos, ut Ovidius canit (p)

Scindentur veſtes, gemmæ frangentur, & aurum,
Carmina quam tribuent, famæ perennis erit.

INDEX

(p) *Lib.* I. *Eleg.*

INDEX
RERUM ET VERBORUM
LIBRI III.

L. Indicat Librum. N. Indicat Numerum.

A.

Æneæ Sylvii, poſtea Pii V. Pont. effatum de Poeſi minus caſta. L. 3. N. 10.

Ænigma quid ſit. L. 3. N. 39.

Æſtimatores & fautores veterum Poetarum: Scipio, Lucullus, Auguſtus, Mecœnas, &c. L. 3. N. 7.

Ætates quinque Poeſeos: ejus infantia, adoleſcentia, virilis, ſenium, decrementum. L. 3. N. 16.

Ævi noſtri modica cura & æſtimatio Poetarum. L. 3. N. 8.

Alexandro M. Ilias Homeri in maximo pretio fuit. L. 3. N. 15.

Arti-

Artificium veterum Poetarum, quo homines a vitiis abſterrerent, & ad virtutem incitarent. L. 3. N. 6.

B.

S. Baſilius lectionem Poetarum commendat exemplo Heſiodi. L. 3. N. 10.
Boſchius S. J. artis Emblematicæ regulas & exempla integro Tomo complexus eſt. L. 3. N. 39.

C.

Carminum varietas: aliud nuncupatur ab Auctoribus, aliud a materia, aliud ab inſtrumentis muſicis, aliud a pedibus, aliud a numero ſyllabarum, aliud a ſtatuis & marmoribus. L. 3. N. 18.
Carminis uſus tam apud Græcos quam Latinos prior fuit proſa L. 3. N. 13.
Carmen Epicum debet habere 1. unitatem circa materiam. 2. Debet eſſe perfecta virtutis imago. 3. Requirit excelſum ingenium. L. 3. N. 31.
Certamen Homeri & Heſiodi pro lauro Poetica. L. 3. N. 16.
Characteres Poetici. 1. Ingenium fertile, &c. 2. Judicium maturum, &c. 3. Facilitas & fluiditas venæ. L. 3. N. 21.

Cicero-

Ciceronis, aliorumque grave judicium de Poetis abſcœnis. L. 3. N. 9.
Cleonas auctor Epici ſeu Heroici carminis ad tibiæ regulas. L. 3. N. 13.
Columbiades ſeu carmen de navigatione Columbi in novum orbem. L. 3. N. 19.
Comœdiæ origo & variæ viciſſitudines: tres illius ætates. L. 3. N. 15.
Veterum Comœdiæ fuerunt inſolentes in traducendis hominum moribus. L. 3. N. 15.
Primi, qui coluerunt Comœdiam. L. 3. N. 15.
Varii generis Comœdiæ apud Romanos. L. 3. N. 15.
Comœdiæ multum antiquitus profuerunt Reipublicæ. L. 3. N. 36.
Invectiva in Comicos noſtri ævi, qui amatorias nugas tractant. L. 3. N. 36.
Comœdia vitæ communis imago eſt. L. 3. N. 35.
Idem fere artificium habet cum Tragœdia. L. 3. N. 35.
Prima dos Comœdiæ ridiculum eſt: in quo conſiſtat. L. 3. N. 35.
Comicus debet perfecte noſſe mores hominum, eosque imitari poſſe. L. 3. N. 35.
Inſignis Comœdia Plauti, cujus titulus: Miles Glorioſus. L. 3. N. 35.

Comparatio Tragœdiarum ævi noſtri cum Tragœdiis antiquorum. L. 3. N. 34.

Coronæ Poetarum præſtantium, ex lauro, ex hedera, ex myrto, ex hedera & myrto. L. 3. N. 36.

Coronarum iſtarum origo e Plutarcho. L. 3. N. 16.

Criſis in Poetas obſcœnos ex Iſocrate, Juvenali, & Ovidio. L. 3. N. 9.

D.

Daphnis inventor carminis Bucolici. L. 3. N. 13.

Dionyſius edidit carmen de ſitu orbis Geographici. L. 3. N. 19.

Diſcrimen inter vim Eloquentiæ & Poeſis. L. 3. N. 6.

Dithyrambus inventor verſuum Dithyrambicorum. L. 3. N. 13.

Dotes Poeſeos explicantur: 1. Obſervandi characteres perſonarum. 2. Mores debent eſſe conformes naturæ. 3. Ætatis, ſexus, & fortunæ ratio habenda. L. 3. N. 26.

Dramaticum poema videtur præſtare poemate Epico. L. 3. N. 33.

E.

E.

Ecloga eſt imago vitæ paſtoritiæ. L. 3. N. 37.
Ejus materia & dotes. L. 3. N. 37.
Excelluerunt apud Græcos Theocritus, apud Latinos Virgilius. L. 3. N. 37.
Elegia cur flebilis dicatur. L. 3. N. 38.
Ejus materia initio lugubris, poſtmodum etiam læta, &c L. 3. N. 15. & 38.
Poetæ Elegiaci excellentes apud Græcos, & Latinos. L. 3. N. 38.
Elegiaci carminis origo & varietas. L. 3. N. 15.
Ejus Auctor incertus: Poetæ Elegiaci. L. 3. N. 15.
Emblema quid ſit. L. 3. N. 39.
Enthei cur Poetæ dicti fuerint. L. 3. N. 1.
Epigramma: ejus dotes, brevitas, argutia, & venuſtas. Excellentes Epigrammatici. L. 3. N. 39.
Epopæjæ ſeu carminis heroici origo. L. 3. N. 15.
Conſtat hexametris: quinam ſcripſerint verſibus hexametris, & de qua materia. L. 3. N. 15.
Epopæja debet illuſtres illuſtrium hominum actiones celebrare & imitari. L. 3. N. 15.
Euripidis Tragœdiæ, & elogium. L. 3. N. 15.
Euſebii narratio de Davidis enthuſiaſmo. L. 3. N. 14.

F.

F.

Fabula ſeu fictio Poetica: ejus diviſio in ſimplicem & compoſitam. L. 3. N. 24.
Conſtat involutione ac evolutione. L. 3. N. 24.
Debet eſſe admirabilis, ſimul & veriſimilis. L. 3. N. 25.
Debet habere epiſodia. L. 3. N. 25.
Fabula eſt præcipua dos Epopœiæ. L. 3. N. 32.
Res exiguas facit grandes. L. 3. N. 32.

H.

Harmonia Poetica quid ſit. L. 3. N. 11.
Hexametris conſtat omne carmen Epicum. L. 3. N. 15.
Quinam Poetæ ſcripſerint verſibus hexametris. L. 3. N. 15.
Homeri Ilias & Odyſſea ſunt quædam morum philoſophia. L. 3. N. 3.

I.

Imitatio Poetica quid ſit, & quomodo obtineatur. L. 3. N. 11.
Iambus ſenarius Tragœdiæ adhibitus. L. 3. N. 15.

L.

Lex Romana de non lædenda aliorum fama in Comœdiis. L. 3. N. 15.

Lyrici carminis origo & progreſſus. L. 3. N. 15.
Ejus indoles mediocritatem reſpuit. L. 3. N. 39.
Novem Poetæ Lyrici in Græcia. L. 3. N. 15.
Pindari & Horatii elogium. L. 3. N. 15.
Recentiores Poetæ Lyrici excellentes. L. 3. N. 39.

M.

Melpomene inventrix Tragœdiæ. L. 3. N. 13.
Methymnæus inventor Chori. L. 3. N. 13.
Metrum ortum ex pedum ordine & ſyllabarum dimenſione. L. 3. N. 12.

N.

Natura ſola ad eximium Poetam formandum non ſufficit, ſed requiritur ſimul ars, & artis præcepta. L. 3. N. 22.
Explicatur proverbium: Orator fit, Poeta naſcitur. L. 3. N. 22.

O.

Oeſtrum poeticum quid ſit, ex Cicerone, Ovidio & Platone explicatur. L. 3. N. 1.

Alio ſenſu eſt promta vis ingenii, & facilitas ad fundendos verſus. L. 3. N. 2.
Orphei & Amphionis peritia Poetica. L. 3. N. 13.
Oeconomia Poeticæ. L. 3. N. 23.

P.

Patres & Eccleſiæ Scriptores vacarunt lectioni Poetarum: ex iis flores & ſententias decerpſerunt. L. 3. N. 8.
Pagani ad profana Numina transtulerunt poeſin ſacram. L. 3. N. 14.
Petrarcha eodem die & anno Romam & Pariſios invitatur ad laurum poeticam. L. 3. N. 7.
Pindarus auctor carminis Lyrici. L. 3. N. 13.
Pierus filiabus Muſarum nomen indidit, unde Pierides Muſæ. L. 3. N. 13.
Poeſis eſt cœli donum, & naturæ beneficium. L. 3. N. 1.
Poeſeos finis eſt, prodeſſe ac delectare. L. 3. N. 3.
Delectat tum fictionibus, tum deſcriptionibus. L. 3. N. 3.
Prodeſt abſterrendo a vitiis & ſuadendo virtutem. L. 3. N. 4.
Poetæ ex parvis grandia faciunt. L. 3. N. 5.

Carmi-

Carminis modulatione ac dulcedine turbatis mentibus ſerenum reſtituunt. L. 3. N. 6.
Salutaria monita, & morum præcepta ſuaviter proponunt. L. 3. N. 6.
Delectant numero & harmonia verſuum: narrationibus mirabilium eventuum, & admiratione fabularum. L. 3. N. 5.
Poetæ quare digni ſint favore. L. 3. N. 7.
Poetis operam ſuam navarunt viri maximi. L. 3. N. 7.
Poetæ laſcivi ingentia damna afferunt. L. 3. N. 10.
Poeſeos origo tum ex imitatione, tum ex harmoniæ ac rhythmi amore. L. 3. N. 11.
Poetæ ſacri, cæleſti numine afflati. L. 3. N. 2. & 14.
Poeſis reflores cere cæpit ſub Dante, Petrarcha, & Bocacio. L. 3. N. 16.
Poetæ inſignes in quolibet carminis genere. L. 3. N. 16.
Poema quid ſit, & quomodo differat a rhythmo & metro. L. 3. N. 18.
Poeticæ diviſio Lilii Gyraldi in duas claſſes ratione materiæ, & formæ. L. 3. N. 19.
Alia diviſio Julii Cæſ. Scaligeri in triplicem ordinem. Lib. 3. N. 19.
Diviſio melior Poſſevini in divinam, naturalem & moralem. L. 3. N. 21.

Poetæ characteres. L. 3. N. 21.
Poetæ officium arduum eſt, & grande. L. 3. N. 22.
Poetæ non omnes in quovis genere excellunt, ſed plerumque in uno. L. 3. N. 22.
Poeticæ ſimilitudo cum pictura. L. 3. N. 23.
Poeſis debet exprimere adfectiones animi, ad quod opus forti imaginatione ac meditatione. L. 3. N. 26. & 27.
Pratina Phliaſius inventor ſatyræ. L. 3. N. 13.
Ptolemæus Philopator templum ſtruxit Homero. L. 3. N. 7.

Q.

Querela contra eos, qui Poetas obſcænos juventuti ſubminiſtrant, vel vendunt. L. 3. N. 9.

R.

Rhythmus quid ſit: illius origo a ſacrificiis, conviviis, nuptiis cum cantu inſtitutis. L. 3. N. 11.
Rhythmus licet antiquior metro tranſiit ad plebejos: metrum ſibi vindicarunt docti. L. 3. N. 12.
Rhythmorum uſus valde frequens medio ævo. L. 3. N. 12.

S.

Satyræ origo, ejusque ætates. L. 3. N. 15.

Saty-

Satyram emendavit Lucilius, Horatius perfecit. L. 3. N. 15.
Satyrici Poetæ nobiliores L. 3. N. 15.
Satyra unde dicatur: duplex illius genus. L. 3. N. 37.
In Satyris cavenda nimia dicacitas. L. 3. N. 37.
Societatis JEſu Patres utiliſſimam operam locarunt in expurgandis poetis obſcœnis. L. 3. N. 9.
Socratis effatum de utilitate Poeticæ. L. 3. N. 4.
Solon ſcripſit leges ſuas verſibus elegiacis. L. 3. N. 15.
Styli ſeu dictionis Poeticæ dotes ſeptem, quæ exemplis e Virgilio illuſtrantur. L. 3. N. 28.
Synopſis Iliadis & Odyſſææ Homeri. L. 3. N. 15.
Synopſis Æneidis Virgilii. L. 3. N. 15.

T.

Thalia, cui Comœdia adſcribitur. L. 3. N. 13.
Terpander, vel Theocles Naxius auctores elegiaci carminis ad citharæ leges. L. 3. N. 13.
Tragœdiæ origo, & ritus veterum in ſpectaculis tragicis. L. 3. N. 15.

Tragœdiam excolere cæpit Thespis, Æschylus emendavit, Sophocles & Euripides perfecerunt. L. 3. N. 15.
Tragœdiam Philosophiæ præfert Aristoteles. L. 3. N. 33.
Tragœdia pravos motus emendat, & virtutes implantat. L. 3. N. 13.
Debet constare involutione & evolutione: prior errores, posterior agnitionem poscit. L. 3. N. 34.
Agnitio versatur circa res, vel circa personas, debet esse vel maxime verosimilis. L. 3. N. 34.
Tragœdiæ prototypon proponit Aristoteles Oedipum Sophoclis. L. 3. N. 34.
Tragœdi Græci superant Latinos. L. 3. N. 34.
Celebriores tum veteres, tum recentiores. L. 3. N. 34.

V.

Veritatis magnum est commercium cum Poesi, nec illi obsunt fabulæ. L. 3. N. 8.
Virgilii Æneis est quædam Philosophia morum. L. 3. N. 4.

LIB. IV.

LIBER IV.

DE

RHETORICA,

SEU

ELOQUENTIA

SACRA ET PROFANA.

EPITOME
LIBRI IV.
DE RHETORICA,
SEU
ELOQUENTIA SACRA ET PROFANA.

CAPUT I.
NATURA ET INDOLES RHETORICÆ:

§. I.
Encomium hujus artis.

I.

Quinque prærogativæ Rhetorices: Antiquitas, Nobilitas, Utilitas, Potentia, & Amplitudo. Demonſtrantur hæ allatis in medium exemplis.

II.

Tullii & Quinctiliani elogium de arte Rhetorica. Officium Rhetoris. Platonis profana, & Ambrosii sacra Eloquentia in cunis præsignificata.

§. II.

Triplex classis Eloquentium.

III.

Rhetores, Oratores, & Declamatores. Triplicis hujus classis characteres. Isocrates insignis Rhetoricæ Magister.

IV.

Natura & ars conspirare debent in formando oratore : quænam potior sit in hoc negotio. Officium Oratoris ex Quinctiliano.

V.

Origo Declamationum. Refelluntur, qui Declamationes juvenum improbant.

§. III.

Triplex dicendi genus.

VI.

Genus Judiciale, ejusque artificium, & dotes.

VII.

VII.

Genus Deliberativum, ejus artificium & dotes. Athenienſes & Romani in hoc genere excellentes. Fontes generis deliberativi: honeſtum, utile ac neceſſarium.

VIII.

Exornativum genus: artificium & dotes. Introductum eſt poſt Judiciale ac Deliberativum. Fontes illius.

CAPUT II.

HISTORIA RHETORICÆ.

§. I.

Origo.

IX.

Poetæ Mercurium eloquentiæ parentem fecere. Eorundem de illo fabula. Orta eſt Rhetorica e ſocietate hominum.

X.

In liberis civitatibus, & ſub regimine Ariſtocratico & Democratico nata eſt,

ta eſt, & educata Rhetorica. Cicero originem tribuit conditoribus urbium & legum: Ariſtoteles vero Siculis.

§. II.

Progreſſio.

XI.

Athenienſes primi coluerunt eloquentiam profanam. Enumerantur reliqui præcipui e Græcis atque Latinis Oratoribus.

XII.

Eloquentia ſacra floruit apud Hebræos in Moſe, Aarone, Prophetis: Chriſtiano ævo in Apoſtolis & SS. Patribus, quorum aliqui recenſentur.

§. III.

Inclinatio.

XIII.

Inclinavit Eloquentia Romæ translatis e foro ad Curiam gravioribus cauſis & negotiis. Stabilita Religione Chriſtiana tranſiit ad cathedras ſacras.

CAPUT III.

OECONOMIA ET ARTIFICIUM RHETORICÆ.

§. I.

Quinque illius partes.

XIV.

Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio: Partitionis hujus cauſſæ, ac artificium.

XV.

Inventio quid ſit: Agitur de locis Rhetoricis tam interioribus quam exterioribus. Eorum utilitas.

XVI.

Diſpoſitio & ejus neceſſitas. Alia eſt naturalis, alia artificialis: argumentorum ordo in triplici genere.

XVII.

Elocuio propria dos eſt eloquentiæ: Tria in ea ſpectari debent: elegantia, compoſitio, & dignitas. In quo ſingulæ conſiſtant.

XVIII.

Memoria, ejusque officium duplex: facile percipere, & fideliter retinere. Agitur de memoria artificiali.

XIX.

Pronunciatio partim ad vocem, partim ad gestum refertur. Sine hac languet omnis oratio. Maxima vis pronunciationis in varietate.

XX.

Actio dicitur a Cicerone: Semo corporis & eloquentia animi. *Ejus varia genera exemplis illustrantur.*

§. II.

Quatuor Orationis partes.

XXI.

Orationis characteres: docere, delectare, & movere. Qua ratione hæc fiant. In exordio tria spectari debent: benevolentia, attentio, & docilitas. Per quæ ista obtineantur, ostenditur ex Cicerone.

XXII.

XXII.

Narratio debet esse: Brevis, Aperta, Probabilis. Explicantur singula.

XXIII.

Confirmatio & Confutatio, quomodo utraque instrui debeat. Argumenta non debent esse nuda, sed ornata & amplificata. Difficilior est confutatio, quam confirmatio.

XXIV.

Peroratio quid sit, & quomodo fieri debeat. In ea Tullius triumphabat. Exemplum ex eodem.

§. III.

Tria dicendi genera.

XXV.

Variæ opiniones de optimo dicendi genere. Characteres dictionis in optimis Oratoribus observati. Tria dicendi genera: subtile, temperatum, & sublime.

XXVI.

In quo consistat genus dicendi subtile:

ejus dotes. Pauci sunt, qui hoc adsequuntur. Exempla e Cicerone & Quinctiliano.

XXVII.

De genere dicendi sublimi, ejusque dotibus. Adjumenta, scilicet: ratio cogitandi nobilis, verba magnifica, & figuræ patheticæ.

XXVIII.

Genus dicendi temperatum. Ejus vera idea. Enumerantur vitia stili oratorii, & exemplis declarantur.

XXIX.

Insigne exemplum e Cicerone de ornata dictione. Duo monita circa ornatum dictionis.

CAPUT IV.

CLARI ORATORES.

§. I.

Clari in dicendo.

XXX.

Recensentur Oratores Veteres, qui in dicendo insignes fuerunt, tum Græci tum Latini. Horum elogia.

XXXI.

XXXI.

Triumviri eloquentiæ Romanæ, Hortensius, Julius Cæsar, & Tullius. Sequuntur alii præstantes tum antiquioris tum recentioris ævi.

§. II.

Clari in docendo.

XXXII.

Græci. Laus Isocratis, & Aristotelis, huiusque librorum de Rhetorica synopsis.

XXXIII.

Latini. Ciceronis elogium. Synopsis librorum de Oratore. Comparatio Aristotelis & Ciceronis.

XXXIV.

Fabius Quinctilianus: Ejus elogium, & synopsis Institutionum Rhetoricarum. Recensentur etiam Recentiores, qui præclare scripserunt de arte Rhetorica.

CAPUT V.

ELOQUENTIA NATURALIS ET CIVILIS.

§. I.

Naturalis.

XXXV.

Quid nomine naturalis eloquentiæ intelligatur. Ante artem eloquentiæ inventam tum in Græcia tum Romæ fuerunt homines eloquentes, sed non oratores. Tiberii Gracchi mira & potens eloquentia naturalis.

§. II.

Civilis.

XXXVI.

Origo eloquentiæ civilis seu forensis. In duobus præcipue generibus se exercebant oratores Græci & Romani; in genere Deliberativo & Judiciali.

XXXVII.

Eloquentiæ forensis usus abrogatus fuit ob Oratorum iniquas artes in causis

cauſis agendis, hæque translatæ fuerunt ad tribunalia & Curias.

CAPUT VI.
ELOQUENTIA SACRA.

§. I.
Ejus Encomium.

XXXVIII.

Eloquentia profana migravit in ſacram, & e foro in templa & cathedras ſe recepit maximo cum fructu. Prærogativæ illius, ſcilicet dignitas, potentia, majeſtas, auctoritas.

§. II.
Characteres Eloquentiæ ſacræ.

XXXIX.

Veritas, Claritas, Ornatus, Spiritus.

§. III.
Studium S. Scripturæ.

XL.

Primum adjumentum ad ſacram Eloquentiam, ſtudium S. Scripturæ. In hac repe-

reperitur 1. *Materia ad dicendum magnifica.* 2. *Argumenta ad perſuadendum efficaciſſima. Illuſtrantur hæc exemplis.*

XLI.

3. *Sermonis gravitas & elegantia. Adferuntur exempla e S. Scriptura.*

XLII.

4. *Deſcriptionum & affectuum energia, ut rurſus patet ab exemplis.*

XLIII.

Oratio illuſtris Judithæ in genere deliberativo.

XLIV.

Paulli Apoſtoli oratio coram Rege Agrippa in genere Judiciali.

XLV.

Oratio ejusdem Paulli in Areopago in genere Demonſtrativo.

§. IV.

Studium SS. Patrum.

XLVI.

Secundum adjumentum ad Eloquentiam ſacram, ſtudium SS. Patrum. Aliqui

qui eorum rejiciunt omnem ornatum e ſacris cathedris : alii non tam ornatum, quam nimium dictionis ſtudium. Conciliantur invicem.

§. V.

Effigies Patrum & Scriptorum.

XLVII.

Præclari Oratores ſacri ordine ſeculorum tam e priſcis, quam ex recentioribus.

§. VI.

Sententiæ Patrum.

XLVIII.

S. Cypriani adverſus theatra & gladiatores : S. Ambroſii de virginitate : S. Auguſtini de Abrahamo : S. Gregorii Nazianzeni de S. Gorgonia ſorore : S. Cypriani contra luxum.

XLIX.

Characteres eloquentiæ in SS. Patrum ſermonibus. Varietas ſtili ad dignoſcen-

gnoſcendos hos ſacros Oratores adductis exemplis monſtratur.

§. VII.

Duo alia ad S. Eloquentiam adjumenta.

L.

Studium Theologiæ. Studium doctrinæ moralis. Multum etiam juvat S. Oratorem cognitio exacta morum, & indolis Auditorum ſuorum.

§. VIII.

Vis & efficacia ſacri Eloquii.

LI.

Oſtenditur ſacram Eloquentiam ſuperare multum potentiam profanæ, allatis exemplis ſanctorum hominum, qui eloquentia ſua ad Deum & veram fidem innumeros pertraxerunt.

LIBER IV.

DE

RHETORICA

CAPUT I.

NATURA ET INDOLES RHETORICÆ.

§. I.

Encomium Rhetoricæ.

I.

Dicere quidem naturæ beneficium eſt, quod provida hæc rerum omnium mater ſoli homini præ cæteris animantibus liberaliter conceſſit: reliqua enim naturæ dona ut plurimum nobis ſunt cum illis communia, immo in multis nos ſuperant, ut cervi velocitate, linces viſu, magnitudine elephanti. At

bene dicere opus eſt induſtriæ (quum Orator non uti Poeta naſcatur, ſed fiat) quæ ſane maxima eſſe deberet in nobis, ut ea in re, qua ipſi homines cæteris animalibus præſtant, nos præſtemus hominibus aliis, quos naſcendi conditio ad rus & ſtivam damnavit. Quin immo bene dicere non ſolum opus eſt induſtriæ, ſed vel maxime artis, quæ nata eſt ex induſtria. Hanc Græci ῥητορικὴν, Latini Rhetoricam appellant, ſeu facultatem de re quavis propoſita prudenter, ornate, ac copioſe dicendi: quæ quanto in pretio ab omnibus haberi mereatur, ſatis demonſtrant quinque omnino, quibus inſignitur, prærogativæ: nimirum *Antiquitas*, dum Mercurio inventore gloriatur, a quo in homines transfuſa eos feritate exuit, induitque humanitate. *Nobilitas*, qua ſic excellit, ut Imperatorium quoque nomen ac decus obſcuraſſe ſit viſa in Numeriano Cæſare, qui Orator nuncupari maluit, quam Imperator, *ſxi ſimulacrum* teſte Volaterrano, *hoc elogio conſcribens:*

NUMERIANO. ORATORI. NON. IMPERATORI.

Utilitas, quum imperia parta tueatur, nondum acquiſita expugnet; quemadmodum

modum Agamemnon apud Homerum ad Trojam occupandam non decem Ajaces, ſed totidem requirebat Neſtores. (ſuperabat enim Neſtor omnes belliduces eloquentia) Et Philippus Macedonum Rex apud Plutarchum Demoſthenis facundia potius, quam Themiſtoclis audacia Athenas conſervari palam profeſſus eſt. *Potentia*, quæ in Orpheo Thrace, ac Amphione Thebano ſeſe prodidit, qui oris ſui facundia & ſermonis gratia ſylvas, volucres atque feras moviſſe dicuntur. Primi enim fuerunt, qui agreſte hominum genus dicendi arte in unum collegerunt, & communis ſocietatis utilitate propoſita, ut domos primum, deinde vicos, mox urbes colerent, auctores fuerunt. Unde Horatius (a)

Sylveſtres homines ſacer, interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ab hoc lenire tigres, rabidosque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis

Saxa

(a) *In Art. Poet.*

Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere, quo vellet.

Amplitudo demum; nam latiſſime patet, ita ut dum reliquæ facultates ac diſciplinæ omnes vim ſuam dicendi perſuadendique circa unam quampiam rem obtinent, Rhetorica ad univerſas res ſeſe extendat, nullisque finibus circumſcribi regnum ſuum patiatur.

II.

Non minor autem tam nobili matre filia eſt, ſeu Eloquentia, quam ars Rhetorica adnitentibus præceptis ac legibus ſuis felici partu in lucem profert. Ad hanc eloquentiam, quam alii loquentem ſapientiam vocant, nobis commendandam non ſat verborum ac ſententiarum in tota penu ſua invenerunt ipſi eloquentiæ artisque oratoriæ Proceres, Tullius & Fabius Quinctilianus. Prior (b) ut grandem hujus rei ideam in omnium animis formaret, cunctos dignitatis, jucunditatis, potentiæ, admirabilitatis, magnificentiæ, ſapientiæ, &c. titulos in eam congerit, aſſerens: „ In omni libero populo, maximeque in pacatis & tranquillis civitatibus præcipue „ ſem-

(b) *Lib. 1. & 2. de Orat.*

„ ſemper floruiſſe, ſemperque domina-
„ tam eſſe: nihil tam jucundum cognitu
„ atque auditu, quam ſapientiſſimis gra-
„ viſſimisque verbis ornatam orationem &
„ perpolitam: nihil tam potens, tamque
„ magnificum, quam animos unius ora-
„ tione converti, nihil admirabilius, quam
„ rem ſplendore illuſtratam verborum.
Oratoris proprium eſſe munus contendit: in dando conſilio de maximis rebus
„ cum dignitate ſuam explicare ſenten-
„ tiam: ab ejus facundia pendere lan-
„ guentis populi incitationem & effrena-
„ ti moderationem: eadem facultate frau-
„ dem hominum ad perniciem, & inte-
„ gritatem ad ſalutem vocari: denique
ait, perfecti Oratoris moderatione &
„ ſapientia, non ſolum ipſius dignitatem,
„ ſed & privatorum plurimorum, & uni-
„ verſæ Reipublicæ ſalutem maxime con-
„ tineri. „ Poſterior vero, nempe Fabius (c) non ſolum primam hominum ſocietatem & gubernationem, legum vim ac robur, naturæque præcipientis efficientiam eloquentiæ in acceptum refert, verum etiam infinitam in ſenatum, populum atque exercitum poteſtatem eidem tribuit: „ Equidem nec urbium, in-
„ quit,

(c) *L. 2. Inſt. Orat. Cap. 16.*

„ quit, Conditores reor aliter effecturos „ fuiſſe, ut vaga illa multitudo coiret in „ populos, niſi docta voce commota: „ nec legum repertores ſine ſumma vi „ orandi conſecutos, ut ſe ipſi homines „ ad ſervitutem juris adſtringerent. Quin „ ipſa vitæ præcepta, etiamſi natura ſunt „ honeſta, plus tamen ad formandas men- „ tes valent, quoties pulchritudinem re- „ rum claritas orationis illuminat. . . . . „ Nam ut omittam, defendere amicos, „ regere conſiliis ſenatum, populum, „ exercitum in quæ velit ducere, quam „ ſit utile, conveniatque bono Viro: non- „ ne pulchrum vel hoc ipſum eſt, ex „ communi intellectu, verbisque quibus „ utuntur omnes, tantum aſſequi laudis „ & gloriæ, ut non & orare, ſed quod „ Pericli contigit, fulgurare ac tonare vi- „ dearis. „ Quod vero omnium maxime ad Eloquentiæ commendationem confert, illud eſt, quod non ſolum naturæ, induſtriæ & artis opus ſit, ſed etiam cœli donum; ſiquidem hiſtoria nos docet, non raro cœlum prognoſticis quibusdam uſum eſſe, quibus hominum eloquio præſtantium natales illuſtravit. Ita Platoni in cunis dormienti apes mellis copiam inſtillare ſunt viſæ, quæ præſagitio erat, fore ut quondam ex illius ore oratio melle

melle ſuavior flueret. Ita in D. Ambroſii adhuc infantis faucibus apum examen conſediſſe legimus, qua re divina viri eloquentia præſignabatur, ut ait Paulinus. (d) Nec abſimile quid matri S. Bernardi accidiſſe fertur, qui propter ſermonis dulcedinem *Melliflui* nomen promeruit. Nimirum Superis quoque curam eſſe eloquentiæ, tanquam doni ex alto in terram deſcendentis, hæc ſigna facile demonſtrant.

§. II.

Triplex Claſſis Eloquentium.

III.

Rhetores.

Jam vero, quum adeo antiqua, nobilis, utilis, potens & ampla ſit ars Rhetoricæ, uti dictum eſt, quid mirum, ſi tot omni ævo cultores invenerit. Hos in triplicem diviſerunt claſſem rerum periti, nempe in Rhetores, Oratores, & Declamatores. *Rhetorem* quidem initio adpellarunt *communi* nomine illum, qui qualicunque demum dicendi facultate fuit præditus; & eloquentiam ipſam λόγος magis quam ῥητορικὴν nuncuparunt. Verum ubi in

(d) *In Vita.*

Græcia, Athenis maxime, quæ urbs eloquentiæ theatrum erat, facundi homines plerisque, etiam graviſſimis Reipublicæ negotiis, belli, pacis, vectigalium, Legum ac Jurium pro concione tractandis adhiberi cœperunt, eaque re non ſolum ingentes opes ac honores, ſed poteſtatem quoque maximam, principibus & ducibus populi fere parem, ſunt conſecuti, nobiliſſimi quique juvenes, tam amplam ad Reipublicæ gubernacula viam eloquentiæ ſtudio patere conſpicientes, iis ſeſe ſcholis, iisque Magiſtris inſtituendos tradiderunt, qui artis Rhetoricæ doctrinam & præcepta palam cum laude profiterentur. Unde *peculiari* nomine Rhetor dicebatur ille, qui probe cognita artis hujus natura, indole ac præceptorum vi, totaque orationis œconomia intime perſpecta, longoque uſu & experientia doctus ipſe facultatem hanc alios docet, atque methodo clariſſima, ſolidiſſimaque ad eloquentiam informat, licet ipſe a foro & negotiis civilibus abſtineat, atque intra privatos ſcholæ parietes ſeſe contineat. Ad hoc autem munus, nempe Rhetoris, cum dignitate ſuſtinendum non opus eſt, ut naturæ præſidiis ad dicendum ſit inſtructus, modo artificium & leges quam optime calleat.

leat. Ita Iſocrates Rhetor fuit totius Græciæ celebratiſſimus, *cujus e ludo*, inquit Tullius, *tanquam ex equo Trojano innumeri eloquentiæ principes prodierunt.* Interrogatus autem, cur nunquam in roſtris compareret, & illius, quam tanto profiteretur fructu plauſuque, artis ſpecimen publicum daret, reſpondit: *orare multos docui, orare ipſe nunquam potui.* Erat enim vocis gratia, geſtu corporis concinno, & oris facundia, firmaque laterum compage deſtitutus; quæ res tamen neutiquam obſtitit, quo minus uberrimum doctrinæ ſuæ ac inſtitutionis fructum conſequeretur, formando præſtantiſſimos utiliſſimosque Reipublicæ Oratores; quod ipſe aptiſſima ſimilitudine cotis declaravit, quæ licet acie careat, nata tamen factaque ad acuendum ferrum eſt: *Et cotes*, inquiebat, *hebetes ſunt, & obtuſæ ad ſecandum: ad ſecandum tamen ſubigunt & acuunt ferramenta.* Quum autem iſti eloquentiæ publici profeſſores non tantum dictionis robori, ſed etiam ornamentis plurimum inhiarent, & artificioſæ orationis delicias, ſermonumque illecebras, quas Græci *Sirenulas* vocant, diſcipulis ſuis plena manu venales exponerent, non ſolum ſimplici Rhetores, ſed compoſito nomine *Rhetores Sophiſtæ*, ῥήτορες σοφισταὶ, inſigniti

fuere, inter quos primum facile locum obtinuit Gorgias Leontinus. Initio quidem illecebroſi hujus ſermonis Doctores apud aures hujus lenocinandi generis inſuetas invenerunt minus favens judicium: poſtea vero ceſſantibus concionum popularium fluctibus in Principum & Imperatorum delicatiores animos ita ſe inſinuarunt, ut magno in pretio haberentur, & majoribus ornarentur præmiis, donati palmis, ſphingibus, ſirenibus, aliisque eloquentiæ ſymbolis, quin & ſtatuis ac Cæſarum vehiculis, ad quorum conſcenſum fuerunt admiſſi. (e)

IV.

Oratores.

Oratorem vero vocarunt eum, qui de re quavis ornate ac copioſe loqui ſciret, qualis olim cenſebatur, qui poſtquam e Rhetorum ſchola eloquentiæ armis probe inſtructus in forum velut in militiam prodiit, longo uſu & exercitatione multa eruditus, in judiciis & concionibus forenſibus facunde diſerteque verſabatur. In hoc ars & natura conſpirent, oportet; nam ſine dotibus naturæ non placebit, nec in animos auditorum inſi-

(e) *Lucianus in Dial. de Rhet. Doct.*

inſinuare ſe poterit : ſine artis autem adminiculis non perſuadebit, neque movebit. Præclare ait Cicero pro Archia : *Quum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam conformatioque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolet exiſtere.* Quænam vero harum alteri palmam præripiat in Oratore, a nonnullis in utramque partem diſputatur, ſi non inani, certe parum utili contentione. Ego ſic exiſtimo, ſi ſuas in Oratorem opes natura conferat, ſi divitias ſuas ars effundat, eximium dicendi genus efflorescet, a natura quidem inchoatum, ab arte vero abſolutum & perfectum. Nam eodem jure de Rhetorica dicere licebit, quod Horatius de Poetica cecinit: (f)

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quæſitum eſt : Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium : alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Omni tamen laude dignus erit Orator, in quo ars magna velut ſuperveniens præ-

(f) *In arte Poet.*

petentibus præſto non ſit, nec eloquium ſuum de fortunis & capite periclitantibus indulgere quamprimum poſſit? ſero nimis cauſis vulneratis medicina veniet, ſi primum argumenta & verba multo labore conquirere, memoriæ conſulere, vocem. ac latera præparare neceſſum ſit. Quemadmodum igitur navis gubernator ad omnes tempeſtatum incurſus prompto animo & conſilio armatus eſſe debet, ut præſenti ruinæ ac naufragio navem ſubducat, ita ut Oratorem ad quascunque miſerorum cauſas paratum eſſe oportet, ut uniuscujusque periculo, bonoque tam privato, quam publico voce facundiaque ſua opitulari ac conſulere queat.

V.

Declamatores.

Denique *Declamatorem* dixere Veteres illum, qui ſe aliosque exercendi gratia umbratilem cauſam ageret, captans artificioſas orationis illecebras. Nam ſolemne fuit olim, uti & modo, in Rhetorum ſcholis proponere auditoribus quæſtiones in utramque partem declamandas, quas themata vocant Græci, quales illæ ſunt: *Sitne bellum Carthaginenſibus inferendum? an cum Pyrrho amicitia ineunda?*

eunda? utrum Sylla debeat ſe Dictatura abdicare? & his ſimilia, uti Juvenalis teſtatur.(k)

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus,
& nos
Conſilium dedimus Syllæ, privatus ut altum
Dormiret.

Finit autem Fabius Declamationem, quod ſit forenſium actionum meditatio, (l) & alibi (m) judiciorum conſiliorumque imaginem vocat. Initium vero illius ad Demetrii Phalerei tempora refert, quo Græci fictas ad imitationem fori conſiliorumque materias incerto auctore proferre cœperant. Hoc dicendi genus magnis ſane laudibus extollit idem Fabius, dum „ cunctas Rhetoricæ dotes in ſe conti- „ nere, ac veritati proximam imaginem „ reddere contendit, itaque celebratam „ eſſe aſſerit, ut plerisque videretur ad „ formandam eloquentiam vel ſolam ſuf- „ ficere. Neque enim virtutem ullam „ perpetuæ duntaxat orationis reperiri „ poſſe exiſtimat, quæ non ſit cum hac „ diſcendi ratione communis. Equidem non me latet, eſſe quosdam, qui hoc exercitationis genus, & declamandi morem tam longo uſu comprobatum adlatrare non verentur, noxium potius eſſe juven-

(k) *Satyr.* 1. (l) *Inſt. Orat. Lib.* 4. *Cap.* 2. (m) *Lib.* 2. *Cap.* 10.

juventuti, quam proficuum eloquentiæ ſtudio arbitrantes. Ajunt, in declamationibus relicto argumentationum artificio illecebras ſolum ſermonis quæri, auresque impleri ſententiis ac verbis ſpecioſis: nec tam vincendi, quam placendi cupiditate teneros animos accendi: nil grave ac ſerium, ſed comptum & calamiſtratum proferri, pictisque velut armis puerilem in modum decertari. Unde fit, ut ſi in foro ſit comparendum, ſi ſeria pugna cum forti adverſario ſit ineunda, imbellis animus, fractæ vires, & orationis totius languor quidam atque mollitia ſeſe prodat, velut rubigo ex umbratili illo certaminum genere adhærens, ita ut ejusmodi Rhetorculus ridendum potius, quam hoſti ſuo formidandum ſe præbeat. Sed non tam firma ſunt hæc argumenta, uti prima fronte adparent; nec tam valida, ut declamandi conſuetudinem, tot ſapientum ſuffragio, totque ſeculorum uſu roboratam convellere poſſint. Non educitur miles in aciem recens conductus, niſi prius in umbra velitationum probe ſit exercitatus, nec aves e nido ſtatim celeri volatu in æthera feruntur, donec alæ creverint, & ſecando aeri pares ſint: & artis nauticæ tyrones circum litora vehuntur antea, quam in altum remis

remis velisque contendant. Ita non minus eloquentiæ candidatus prius ludicris, ut ita dicam, certaminibus fingendus eſt ad auſtera prælia, nec continuo in forum emittendus. Intra privatos ſcholæ parietes diſcat primum quidem ornate ac copioſe loqui, tum etiam paullatim manus cum hoſte conſerere. Hinc non ſine conſilio mos invaluit, ut Rhetoricæ alumni initio in genere exornativo, dein deliberativo, demum in judiciali curate exerceantur, quo ordine fit, ut primum artis iſtius delectatione capiantur animi, poſtea argumentorum vim in utramque partem expendant ac experiantur, denique etiam vincere ac triumphare aſſueſcant. Ita diſcunt arma tractare, vultus hominum ferre, totiusque oris ac corporis habitum componere. Neque deſunt in ludis gloriæ incitamenta huic ætati: grande quid moliri ſe autumant, & Romanam condere gentem, ſi ſubinde in frequenti doctoque hominum conſeſſu cum plauſu, & propoſitis etiam præmiis virtutem commendent, vitium perſtringant, Heroum ac Principum res præclare geſtas in cœlum extollant; aut bellum vel pacem innocua oratione ſuadeant, aut tota, qua poſſunt, virium contentione parvi hi Tullii pro domo ſua perorent,

atque

atque de reorum vel innocentum fortunis & capite velut e roſtris decernant. Quodſi jam primis eloquentiæ naſcentis temporibus hoc exercitationis genus utiliſſimum teſte Cicerone ac Quinctiliano credebatur, certe huic, quam vivimus, ætati pene neceſſarium eſt, qua vix licet Oratoribus in forum prodire, ac civitatis cauſas coram populo tueri, ſed omnis fere concionum ratio ſacras in exedras eſt translata :

§. III.

Triplex dicendi Genus.

VI.

Judiciale.

Luſtrata triplici hominum eloquio præſtantium claſſe ad partitionem hujus artis penitus cognoſcendam juvat accedere. Primo quidem tria cauſarum genera ſeſe offerunt, in quibus omnis Rhetoricæ labor & induſtria exercetur. Nam ut ſcite obſervat Quinctilianus : (n) *Omne Oratoris officium aut in judiciis eſt, aut extra judicia. Eorum de quibus judicio quæritur, manifeſtum genus eſt : ea quæ ad judicium non veniunt, aut præteritum*

(n) *Lib.* 3. *Cap.* 4.

ritum habent tempus, aut futurum: præterita laudamus aut vituperamus, de futuris deliberamus. Ex quibus verbis facile patet triplex illud, de quo dixi, cauſarum genus, ſcilicet *Judiciale*, *Deliberativum*, & *Exornativum* ſeu *Demonſtrativum.* Primum eſt, quod tot Viros eloquentiſſimos Reipublicæ genuit. Quippe ubi publica judicia olim celebrabantur, & populi ſuffragiis jus dicebatur, Oratorum munus erat, aut noxios cives in foro criminis poſtulare, aut innocentum fortunas & caput defendere, quæ res & magnitudine ſua, & utilitate honeſtiſſimos quosque tum ad eloquentiæ ſtudium, tum ad ipſam artem Rhetoricæ perficiendam mire excitavit, quum viderent ex eorum ore totius concionis animos pendere, ac civium & Reipublicæ ſortem velut in manibus verſari, flectendo populum ad expetendam, ac judices ad exercendam ſeu ſeveritatem in reos, ſeu in innocuos clementiam: *eadem facultate fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem vocatur.* (o) Hujus generis, nempe judicialis, occultum omnino artificium eſt, & vix non ſimile fontibus Nili. Hoc opus, hic labor, accuſationis ac defenſionis methodum modum-

(o) *Cic. Lib. 2. de Orat.*

dumque inveſtigare. Illa verum crimen p. ſcit, ne in calumniam degeneret, nec delicta temere augeat, quemadmodum vitra quædam minuſculos characteres tanquam trabales oculis ſiſtere ſolent. Puerorum eſt, ut medios inter jocos & ludos leviter offenſi exclament: o grande crimen! o ſcelus ferro & igne piandum. Qui accuſat, bonum aut commune aut privatum nunquam e conſpectu dimittat, ne ſecus latentis invidiæ, vel odii ac vindictæ ſuſpicionem merito incurrat. Neque etiam nuda quadam adſertione, ac ſine comitatu tabularum & teſtium, vel certe gravium conjecturarum adminiculo crimina prodantur: dilucida ſit narratio, fortis confirmatio: ea quæ facinus patratum circumſtant, ita ordinentur, ut ſuſpicionem facinoris magis magisque augeant. Si multis criminibus obnoxium quemquam pronuncias, dic plura te ſilentio involvere, ut aures judicum non offendas, & proborum verecundiæ conſulas: pauca hæc proferendi neceſſitatem impoſuiſſe tibi æquitatis ac boni publici ſtudium, omni privatæ amicitiæ præferendum: nec unquam fere animus alieni ſanguinis ſitiens, aut vindictæ cupidus in tota acculatione eluceat. Quippe mentis iſta modeſtia plus ad perſua-

dendum apud graves etiam viros momenti habet, quam ipſa crimina quantumvis vera; nec tam perſonæ inimicum, quam cauſæ Orator ſe profiteatur. Hæc & ſimilia tacite penetrant in Auditorum animos, & incendio adfectionum odii, deteſtationis & vindictæ, quas excitarunt, oleum affundunt. Contra in defenſione, quæ accuſationi opponitur, diligenter perſonarum, rerum & argumentorum ratio habenda eſt. Si nocentis cauſam tueri debeas, fruſtra ſudabis, factum quod manifeſtis indiciis comprobatum eſt, inficiando: excuſandum eſt, aut certe elevandum ex adjunctis, quæ illud comitantur, uti ſunt animi ſubita intemperies, vehementia doloris, aut cupiditatis, injuria prius illata, animus non ſatis ſui compos, aut a crimine ceteroqui alienus, &c. Si innocens ſit, qui accuſatur, hæc ipſa innocentia potentiſſimum defenſionis telum eſt: ſolum opus eſt, ut detegantur ſutelæ, callidæ machinationes, ac male cohærentes accuſatoris criminationes, quæ plerumque ſeipſas produnt, & velut ſerpentes venenati ex cauda deprehenduntur. Nunc una poſt alteram ſuo quævis ordine penitus evertatur præjudiciis, teſtibus, argumentis invictis in medium allatis, uti

arx

arx ſuis pededentim exuta propugnaculis: nunc ex omni accuſatione præcipua capita, reliquis vel omiſſis, vel breviter perſtrictis, confutanda ſuſcipiantur, quibus enervatis tota repente corruit adverſæ partis oratio, quemadmodum fundamentis ſubtractis altiſſima etiam turris. Pugnandum denique ad judices flectendos vehementibus doloris, deprecationis, miſerationis affectibus, quos paſſim interrumpant figuræ exclamationis, expoſtulationis, objurgationis, in accuſatores fortiter vibratæ.

VII.

Deliberativum.

Deliberativum autem genus, quod intra ſuaſionis & diſſuaſionis limites ſe continet propoſita utilitate, honeſtate ac neceſſitate rei, quæ in deliberationem adducitur, non minus ſummos Oratores excitavit, utpote qui maximi momenti negotia, bella & obſidiones urbium, vectigalia, pacis fœdera, provinciarum gubernationem, coloniarum amplificationem, ſociorum tutelam, libertatem atque ſalutem totius Reipublicæ ſeu in curia coram Senatu, ſeu in foro coram populo ſuadæ ſuæ ac veluti arbitrio com-

miſſam intuebantur. Oratoris eſt in dando conſilio de maximis rebus cum dignitate explicata ſententia : ejusdem & languentis populi incitatio, effrenati moderatio. (p) Athenienſium præcipue ac Romanorum Respublicæ Oratores in hoc genere deliberativo clariſſimos aluerunt. Quippe in his unicuique, modo jus ſuffragii vel ſententiæ obtineret, licitum erat de Republica & opinari, & dicere, vel ne quid detrimenti pateretur, vel ut bonum publicum increſceret. Invitabat eos rerum decernendarum magnitudo, ſtimulabat calcar gloriæ, præmia quoque bonis deſtinata conſiliis, ac rei familiaris acceſſio invitabant. Ex hac veluti palæſtra prodierunt ſummi quique Oratores, Demoſthenes, Cicerones, Æſchines, Hortenſii, aliique, donec Concionum libertas inſoleſcere incipiens a multis ad paucos translata intra privatos curiæ parietes paullatim translata eſt. Ars autem omnis in hoc dicendi genere poſita eſt in ſuaſione ac diſſuaſione, ut memini ; quæ ut rite fiant, ante omnia intimos hominum ſenſus, atque animi receſſus ſibi perſpectos habeat Orator, neceſſum eſt, ut pro cujusvis indole, conditio-

(p) *Ibid.*

ditione ac moribus aptiſſima ad perſuadendum argumenta poſſit afferre, & ut ita dicam, cujusvis corpori veſtes accommodare. Aliis enim adfectionibus ducuntur plebeji, aliis cives, Senatus & Principes aliis. Sunt nihilominus, quibus omnes moventur, & quæ in omnibus, qui ſuadere vel diſſuadere volunt cum certa victoriæ ſpe, requiruntur: duo nimirum, *auctoritas* dicentis, quam ſapientia, virtus, ætas & rerum experientia conciliant; atque *amor & benevolentia*, qua in bonum ſeu publicum ſeu cujusque privatum oratorem ferri palam eſt. De geminis his ejus dotibus perſuaſa ſit concio prius, quam ipſe ſuadere incipiat. Argumenta vero hauriet ex fontibus honeſti, utilis ac neceſſarii. *Honeſti* ratio complectitur religionem, inſtituta Majorum, patrias leges, & Reipublicæ decus, &c. quibus rebus nihil ad multitudinem in officio continendam excitandamque fortius, nihil efficacius. *Utile* campum aperit admodum late patentem, cui vix ipſa ſaturitas fines ponere poteſt, continetque primum quidem fugam malorum, ſeu quæ jam imminent, ſeu quæ provido conſilio etiam eminus futura proſpiciuntur, uti ſunt bel-

li calamitas, publicæ fidei & ſecuritatis violandæ periculum, annonæ caritas, fortunarum jactura, ærarii diminutio, &c. Nemo enim boni publici, ne dicam privati, adeo negligens eſt, ut ejusmodi malis, dum tempus eſt, avertendis occurrere nolit: deinde felicitatis ſtudium, quod ad omnes humanæ vitæ utilitates ſe extendit, puta amicitiæ fœdera, artium incrementa, commercii florem, domeſticam ſecuritatem, gloriæ, famæ ac vitæ conſervationem, aliave commoda, quæ conſequendi ſpes ſi abſit, omnis recte agendorum nervus in Repulica interciditur, & virtus omnis horum illicio deſtituta langueſcit. *Neceſſarium* ultimus quaſi aries eſt ad expugnandam humanæ voluntatis arcem, poſtquam fruſtra tentarunt aſſultum utile ac honeſtum. Quippe neceſſitas rei obeundæ, ut non habet legem, ita nec conſilium. Si Hannibal ante portam ſtat, omnes ad arma capeſſenda concurrunt: non jam quæritur, an honeſtum ſit, an utile, ſi neceſſarium eſſe demonſtratur, agaturque de corporis & animæ, fortunarum ac Reipublicæ ſalute. Non ſolus furor, ſed etiam neceſſitas arma miniſtrat. Quodſi tribus his argumentorum claſſibus, quibus docet Orator, apud men-

tes

tes prius ſedatas, ac præjudicatis opinionibus amotis præparatas ſuperveniant nunc acres cohortationes, nunc lenes animorum conciliationes, modo etiam concitationes vehementiores, quibus inflammat, cum gravi quadam ac minime fucata dicendi ratione, amplaque facundia, numeris ſuis abſolutum erit deliberativi generis artificium, nihilque ocret, quod ejusmodi Orator ſuadere non poſſit, aut nequeat diſſuadere.

VIII.

Exornativum.

Exornativum ſeu Demonſtrativum (ἐπιδεικτικὸν) prioribus acceſſit, ortumque habuit in Græcia, dum non raro, in centuriatis Comitiis magnorum Bellducum, aut Legislatorum præclare dicta, geſtaque cum exquiſita verborum pompa publice prædicarent docti homines, vel funebres laudationes (quas ἐπιταφίους vocabant) eorum, qui pro patria fortiter occubuiſſent, cum inſigni facundia palam recitarent, qui mos poſtmodum Romam quoque translatus eſt; unde tot Panegyrici Cæſaribus ac Imperatoribus ſeu veræ laudis, ſeu adulationis

ſtudio dicti: quod orationis genus tum honeſtate, quum laudat Orator, tum turpitudine, quando vituperat, Ariſtoteles definit, ſervitque plus ad delectationem admirationemque, quam ad pugnam forenſem. Quid enim tam jucundum cognitu atque auditu, quam ſapientiſſimis ſententiis, graviſſimisque verbis ornata Oratio & perpolita? . . quid admirabilius, quam res ſplendore illuſtrata verborum? (q) Et vero, poſtquam reorum accuſatio, & capitis ac fortunarum defenſio ad Judicum tribunalia, & conſiliorum deliberationumque ratio ad Curias & Principum aulas translata fuere, oratores ad novam dicendi formam animum applicare, ac eloquentiæ vires alia in palæſtra experiri cœperunt. Inde natum orationis genus exornativum ſeu demonſtrativum, quo procul a forenſi ſtrepitu & concionum fluctibus omnes artis Rhetoricæ gazas & cimelia in virtutum laudem, ac vitiorum vituperium, præcipue vero in Panegyricos ſermones contulerunt. Hi non tam plebis, quam Doctorum ac Principum aures demulſere, quoniam in hac dicendi ratione, ad oblectationem honeſtiſſimam nobiliſſimamque

(q) *Cic. Lib. 2. de Orat.*

que compoſita, verborum numero ac ſententiarum concinnitati major ambitus atque licentia conceditur. Ita Iſocrates & Plato, duo lumina eloquentiæ, graviſſima quæque ſapientiæ ac virtutis præcepta amabili flore ſermonis complexi ſunt. Artificium hujus Epidictici generis maxime in eo poſitum eſt, ut præclare facta per varias ambages & ſermonis circuitus ſublimius ſemper extollantur, vitia vero magis magisque deprimantur, ſic ut quo altius unum aſcendit, eo profundius deſcendat alterum. Laus vero Heroum & Principum petitur tum ab iis, quæ extra hominem poſita ſunt, uti eſt natalium ſplendor, opum affluentia, dignitatis faſtigium, clientela amicorum, potentia, &c. in quibus ſumma laus eſt non extuliſſe ſe in poteſtate, non inhiaſſe divitiis, non fuiſſe inſolentem in blanditiis fortunæ, &c. tum ab illis, quæ intra hominis ſinum recondita ſunt, quemadmodum ſcientia & virtus, prudentia, ſapientia, in rebus ſeu proſperis ſeu adverſis animi moderatio, & ſui ipſius victoria, qua nihil eſt, quod majorem æſtimationem, admirationemque conciliet. Figuris omnibus tam verborum quam ſententiarum campus hic eſt ampliſſimus, quum nulla ſit, quæ non ſuo loco adhibita

hibita aut gratiam aut ſplendorem orationi adferat, aut vim quandam & fortem impreſſionem in audientium mentibus faciat. Affectuum ciendorum minor cura, quum præter amorem vel odium, indignationem vel admirationem vix alteri hoc in theatro comparere liceat. Excelluerunt hoc in genere Plato, Iſocrates, Demoſthenes & Cicero, qui poſtremus ſeu in perſtringendis acerrime vitiis Antonii, Verris & Catilinæ, ſeu in extollenda virtute ac ſcientia Archiæ Poetæ, Pompeji & Julii Cæſaris reliquos omnes ſuperaſſe creditur, quum eandem rem per omnes fere gradus eloquentiæ promovere viſus eſt, donec pene ſupra humanæ conditionis vires extulerit, & Diis immortalibus parem eſſe demonſtraverit.

CA-

CAPUT II.

HISTORIA RHETORICÆ.

§. I.

Origo.

IX.

Licet nemini dubium eſſe poſſit, primas rerum omnium in hoc mundo origines a Deo, inexhauſto illo bonorum fonte petendas eſſe, nulla tamen ars, nulla ſcientia eſt, quam non fabuloſa ætas commentis ſuis velut limpidam aquam turbavit, & falſorum Numinum ſuorum alicui tanquam Auctori ingenioſo quodam mendacio acceptam retulit. Hæc ipſa ſors obtigit Rhetoricæ, cujus parentem Poetæ celebrant Mercurium, canente Horatio (r)

Mercuri facunde, Nepos Atlantis,

Qui

(r) *In Carmine.*

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti.

Fabulantur enim Poetæ, ut Diodorus (s) & Ariſtides (t) narrant, in ipſo ſtatim mundi recens conditi exordio Rempublicam animalium, quin & hominum grandi turbine concuſſam fuiſſe, quod illis ab ipſa natura velut armis ad injurias arcendas inſtructis, homo inermis naſceretur, nec haberet, quo ſe ab aliorum violentia defenderet, & quod magis dolendum, homines pecorum more ſparſi viverent, atque in ſe ipſos ſævirent. Miſeratus itaque eorum ſortem Prometheus cœlum conſcendit, ut inde ſubſidia conquireret, quibus humani generis & incolumitati & dignitati proſpiceret. Nec incaſſum: ſiquidem Jupiter Promethei precibus delinitus Mercurium e cœlo in terras legavit, mandans ut Rhetoricam, ſeu loquendi facultatem homines doceret, cujus ope in cœtus coirent, & arcto ſocietatis vinculo inter ſe necterentur, quin etiam lectiſſimos quosque eloquentiæ opibus ditaret, qui miſeris ſuccurrerent, propulſarent injurias, & Reipublicæ bono velut e ſpecula conſilio ſuo invigilarent. Hinc quemadmodum memini

(s) *Lib.* 1. (t) *Orat.* 2.

mini, factum eſt, ut Poetæ paſſim Mercurio Rhetoricæ inventionem adſcriberent, & ſuper hanc fabellam eloquentiæ cunas exſtruerent. Sed commentis opus non eſt, ubi veritatem, primamque artis hujus originem ipſa hominum conditio nobis palam facit. Quum enim homines a Deo creati, natique ſint, ut ſocialiter vivant; hæc autem vita ſine beneficio ſermonis conſiſtere nequeat, quis eſt, qui poſſit inficiari, Rhetoricam cum ipſis hominum cœtibus ortum habuiſſe? Profecto ubi primum ſocietatis veſtigium exſtitit, ibi dominari cœpit oratio, quæ mortalium animos jungeret, incultam abſtergeret barbariem, ferociam frangeret, mores crudos emolliret, & paullatim ad manſuetioris vitæ jura & leges traduceret. Sed hoc rude adhuc & impolitum erat hujus facultatis initium.

X.

Stabilita hominum ſocietate, quum ſine rectoribus diu perſiſtere ac conſervari nequiret, varia illam adminiſtrandi ratio adinventa eſt: apud aliquas gentes unus gubernabat omnia, vel certe pauci cum quodam reliquorum conſenſu; atque hanc dixere tum Monarchiam, tum Ariſtocratiam, aut Polyarchiam: apud alias toti com-

communitati libertas regendi jus aſſeruit, ubi tot capita, quod ſententiæ, totque rectores, quod membra communitatis, quam Democratiam appellarunt. Jam vero in Monarchia parum profecit eloquentiæ ſtudium, nec fere ultra imperantis limites egreſſa eſt: quippe in hac, quacunque demum dicendi facultate quis polleat, vel non auditur, vel loqui ad concionem non permittitur, vel ſi multitudini loquatur, ea metu præpeditur, ne ſequatur- Hic enim ſtat pro ratione voluntas principis, & imperioſa vox ſuadam omnem abſorbet. Majores ſecit progreſſiones in Polyarchia & Democratia, ubi vel ſuffragium eſt penes populum, vel totum imperium, quoniam in hoc regiminis genere quidquid multitudini probatur, id continuo ratum habetur. Quare permulti toto conatu ad artem dicendi, & in ea ſeſe perficiendi ſtudium excitabantur, ut quam optime ad conciones civium & populi perorarent, qui proin Oratores ſunt nuncupati a Latinis, a Græcis Rhetores. Itaque in liberis civitatibus eloquentia velut nata, educata, magnisque ſumtibus alta, & præpoſitis præmiis ac honorlbus maximis ad ſummum perducta faſtigium eſt, non tamen præcipiti curſu, ſed per multos

quaſi

quaſi gradus, ſcilicet doctorum hominum obſervationes. Nam ut præclare ait Fabius: (u) „ Initium dicendi dedit na„ tura; initium artis obſervatio Homi„ nes enim ſicut in medicina, quum vi„ derent alia ſalubria, alia inſalubria, ex „ obſervatione eorum effecerunt artem: „ ita quum dicendo alia utilia, alia in„ utilia deprehenderent, notarunt ea ad „ imitandum vitandumque, & quædam „ ſecundum rationem eorum adjecerunt „ ipſi quoque: hæc confirmata ſunt uſu; „ tum quæ ſciebat, quisque docuit. „ Quinam autem primi hanc artem excolere cœperint, non ſatis compertum eſt. Certe Scriptores in varias diſtrahuntur partes. Cicero Conditoribus urbium ac Legislatoribus eloquentiæ primordia deberi exiſtimat, quoniam ſine hujus præſidio & vi nec cives in officio continere, nec debitam legibus reverentiam obedientiamque ſuadere illos potuiſſe cenſet. Sed ut Fabius ait, ſunt adhuc quædam vagæ, & ſine urbibus, ſine legibus gentes, & tamen qui ſunt in his nati, & legationibus funguntur, & accuſant aliqua ac defendunt, & denique alium alio

(u) *Lib.* 3. *Cap.* 2.

alio melius loqui credunt. Ariſtoteles vero artis iſtius originem Siculis tribuit, acuto hominum generi, faceto, & ad dicendum prompto, nec absque cauſſa; nam quum Tyranni multi, qui ea in inſula dominabantur, multos ſpoliaſſent, iis vel occiſis vel pulſis poſtmodum repetebantur bona, & fortunæ, & jura. Hinc ſurrexere Oratores non pauci, qui longo uſu & multa exercitatione politius ſenſim atque ornatius dicendi genus in forum adduxerunt. Quinctilianus denique Empedoclem Pythagoricum prima Rhetoricæ fundamenta præceptis quibusdam conſtitutis jeciſſe contendit. *Nam primus*, inquit, *poſt eos, quos Poetæ tradiderunt, moviſſe aliqua circa Rhetoricen Empedocles dicitur.* Artis autem hujus Scriptores antiquiſſimos fuiſſe memorat Coracem & Thiſiam Siculos.

§. II.

Progreſſio.

XI.

Hactenus de elementis craſſioribus & cunabulis Rhetoricæ: Adoleſcentiam ejus Cicero (x) vendicat Athenienſibus:

(x) *In Bruto.*

ſibus: Eloquentia, inquit, non apud quosvis Græcorum cœpit, ſed apud Athenienſes non naſcentibus, ſed jam adultis Athenis: ante Periclem & Thucydidem litera nulla eſt, quæ quidem ornatum aliquem habet, & Oratoris eſſe videatur; Periclem Xanthippi filium Anaxagoras Philoſophus erudiit, cujus ſuavitate hilaratæ ſunt Athenæ, ejus ubertatem & copiam admiratæ: ſed etiam dicendi vim, terroremque timuerunt. Hæc igitur ætas prima Oratorem prope perfectum tulit. His ducibus eloquentia coli cœpit, & Magiſtri dicendi multi ſubito exſtiterunt. Pergit porro Tullius enumerare præcipuos: *Gorgiam Leontinum* (qui centum & novem annos vivendo exegiſſe traditur, atque hoc præceptore non pauci Athenis uſi ſunt, eloquentiæ poſtmodum laude florentes) *Thraſymachum Chalcidonium*, *Pythagoram Abderiten*, *Prodicum Chium*, *Hippiam Elæum*. *Iſocrates* tamen omnes ejusdem teſtimonio vicit, & *Lyſias*, quem jam prope audeas Oratorem perfectum dicere: Nam plane quidem perfectum, & cui nihil admodum deſit, *Demoſthenem* facile dixeris; huic *Hyperides* proximus, & *Æſchines* fuit, & *Lycurgus*, & *Dinarchus*, & cujus nulla ſcripta exſtant,

ſtant, *Demades.* Hæc enim ætas effudit hanc copiam : & ſuccus & ſanguis incorruptus uſque ad hanc ætatem Oratorum fuit, in qua naturalis eſſet, non fucatus nitor. Hæc Rhetorum & Oratorum ævi argentei Genealogia eſt a Cicerone ad uſque tempora ſua concinnata. Aureæ vero initium in Latio dedit ipſe Tullius, poſtquam diu Athenis præfervida civitate ac nobili, atque in Græcis Aſiæ coloniis, Rhodi quoque & in Sicilia dominatum obtinuit eloquentia, quam ubi in Græciam profecti doctiſſimi quique Romanorum ſatis exploratam habuerunt, cum iis tranſiit tandem non ſine fœnore Romam, in qua civitate invenit turbas acumine ingenii præditas, inquietas, ambitioſas, & libertatis quadam aura tumefactas. Excoluerunt autem illam, & ad ſupremum culmen perduxerunt cum Cicerone *Lucius Craſſus*, *Marius Antonius*, *Cato*, *Gracchi*, *Galba*, *Sulpitius*, *Cotta*, *Hortenſius*, quos velut eloquentiæ Triumviros de hac arte, ejusque arcanis acutiſſime ac diſertiſſime colloquentes inducit idem ipſe Cicero in Bruto ſuo.

XII.

Detecta Rhetoricæ, prout in liberis civitatibus & roſtris viguit, origine animum

mum pauliſper convertamus ad illius ortum, prout in populo Dei, & ſacris in exedris dominari cœpit. Equidem dubitari non poteſt, Patriarchas partim naturali, partim hauſta divinitus eloquentia inſtructos fuiſſe, utpote qua ipſis opus erat ad ampliſſimas familias ſuas, quæ parvam aliquam Rempublicam repræſentabant, ſeu in officio continendas, ſeu morum præceptis imbuendas, ſeu quod caput eſt, ad veri Numinis cultum erudiendas. Sed nulla exſtant apud Scriptores hujuſce rei documenta uſque ad Moſen & Aaronem; cujus eloquentiæ S. Scriptura teſtimonium præbet, dicente Deo ad Moſen: (y) *Aaron Frater tuus, ſcio quod eloquens ſit. Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* Illius vero potentem facundiam commendant Apoſtolorum Acta: (z) *Et eruditus eſt Moſes omni ſapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis & operibus ſuis.* Profecto uterque ſublimiore quadam Rhetorica fuit imbutus, quum a ſupremo Principe Deo in aulam Pharaonis Legati mitterentur, dicendumque ipſis eſſet pro populi libertate non ad concionem multitudinis, quæ facile in omnem partem move-

(y) *Exodi* 4. (z) *Act.* 7.

movetur, ſed coram Rege, cujus *cor induratum* erat, ut Scriptura loquitur, & ad dimittendos e captivitate Iſraelitas flecti neſcium : amplius vero, quum in longiſſima illa & ærumnis plena in terram promiſſam profectione nunc ad vitia caſtiganda, nunc ad mandata Dei promulganda commendandaque, modo ad enumeranda divina beneficia & oſtenta, modo ad animos poſt tot fata in ſpem erigendos omnem ſane ſuadam apud populum *duræ cervicis* e cœleſti ſua, quam dixi, Rhetorica expromere cogerentur. Poſtquam autem ab Hebræis conſtituta fuit Respublica, celebre eſſe cœpit nomen *Portarum.* Nempe in his Seniores populi & Magiſtratus frequenter convenere, tum ut jus dicerent, viduas & pupillos defenderent, tum ut ſalutaribus conſiliis cives ſuos juvarent, & in morum ac religionis ceremoniarumque præceptis erudirent. Glorioſum erat in his Portis hominum cœtus cogere, & ab ore dicentis velut ſuſpenſam tenere multitudinem. Unde maximæ laudis loco tribuitur a Salomone : *Nobilis in portis Vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ.* (a) Hæc prima ſacræ Eloquentiæ rudimenta : increvit autem tempore

(a) *Proverb.* 31.

pore Prophetarum, qui vel populi rectores a Deo ſunt conſtituti, vel irati Numinis feciales futuras calamitates præſagiebant. Hi grandi potiſſimum eloquio hominum animos pervaſerant: certe ſublimis, vehemens, & inſtar fluminis exundantis ſermo erat Prophetarum in veteri, ut vocant, Teſtamento. Exultabat Iſaias, lamentabatur Jeremias, Ezechiel minabatur, oſtentis abſorbebatur Daniel. Non minus in novo Apoſtoli pro Chriſto legatione functi (b) non ſolum tot millibus Judæorum ac Gentium inviſam prius legem potenti ſermone ſuo promulgarunt ac perſuaſerunt, verum etiam coram regibus & principibus cauſam non tam ſuam, quam Chriſti invictiſſime defenderunt. Præ cæteris in hac Rhetorica cœleſti excelluit Paullus, qui tanta vi pro domo ſua & doctrina Evangelica Jeroſolymæ peroravit, ut non ſolum multos Judæorum erroris ſui palam convicerit, ſed etiam *diſputans de juſtitia, caſtitate, & de judicio futuro* Felicem Præſidem in ſolio ſuo *tremefecerit.* (c) Cunctorum autem præſtantiſſima & omni Rhetorum eloquentia fortior erat oratio illa, quam ſtans in Areopago, ſacerrimo illo Senatu,

(b) 2. *Cor.* 5. (c) *Act.* 24.

tu, dixit, cujus exordium eſt: *Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video, &c.* (d) quave ſummi illius doctiſſimique Viri Dionyſii Areopagitæ animum expugnavit. Quid dicam de Stephani Levitæ ac Protomartyris Philippica ſane acerrima, qua obſtinatos in perniciem ſuam Judæos in Concilio Principum ac Sacerdotum ita perſtrinxit, ut *diſſecarentur cordibus ſuis, & ſtriderent dentibus ſuis.* (e) Hos viæ ductores ſecuti ſunt longo agmine, & maximo numero SS. Patres, & lectiſſimi quique Oratores ſacri, qui in Rhetoricis præceptis eruditiſſimi profanam eloquentiam e Curiis & foro in *Sancta Sanctorum* tranſtulerunt, materiam ſolum mutantes, non artem, eo majore proventu, quod non de bonis & fortunis perituris, nec niſi terrenum quid ſapientibus, ſed de graviſſimis animæ ac ſalutis æternæ negotiis, deque felicitate nunquam finienda copioſiſſime ad concionem dicerent. Quem quæſo latent Juſtini Martyris, Auguſtini, Hieronymi, oris aurei ſeu Chryſoſtomi, Ambroſii, Baſilii, Athanaſii, Leonis Papæ, Salviani, Bernardi relicta poſteris eloquentiæ ſacræ monumenta, majeſtate, ubertate, ingenio ac melle ubique

(d) *Act.* 17. (e) *Act.* 7.

ubique plena? de quibus verius dici poteſt, quod magnificentius cecinit Homerus his verbis, e ſermone ligato in ſolutum translatis: „Cogitur populus, con„volat, conſurgunt Principes, concio„nantur. Agamemnonis majeſtas quæ„dam propria eſt, in Menelao ſuavis„elucet breviloquentia, Neſtori mel„leum flumen cordi eſt, Ulyſſes fun„dit orationem denſam, & hybernis ni„vibus ſimillimam.„ Sed de his plura ſuo loco proferam.

§. III.

Inclinatio.

XIII.

Nunc tempus eſt, ut poſtquam intelleximus, quibus initiis, & quibus ſtudiis in tantam amplitudinem excreverit Rhetorica, ejusque filia eloquentia, etiam qua ratione, quove fato ars hæc nobiliſſima velut per gradus decreverit, contemplemur. Nimirum ubi Principes & Magiſtratus probe perſpectum habebant, Oratorum pro quæſtu ſervientium licentiam quotidie latius dominari, & rem optimam, ut innocentiæ præſidio eſſet, inventam non

raro ad eam opprimendam, & nocuos defendendos, atque ita ad peſſimos uſus transferri, quum ut quisque eloquio præſtabat, eo fidentius profiteretur artificium faciendi cauſſam ex bona malam, & e mala bonam cum inſigni Reipublicæ perturbatione; ubi Principes, inquam, & Magiſtratus hoc perſpectum habebant, eloquentiæ civilis flumen certis coercendum repagulis, ejusque curſum tantisper ſiſtendum eſſe decreverunt. Certe Athenis lege cautum erat, ne Oratores ciendis affectibus in judicio indulgerent; nec ſine prudenti conſilio. Nam judicis animus norma recti eſſe debet, & veluti in æquilibrio conſtitutus neutram in partem inclinare, priusquam cauſæ veritatem intime perſpexerit. Quodſi jam callidus Orator omnes ingenii vires excitandis varii generis affectibus impendat, pronum eſt, quemadmodum Ariſtoteles quoque obſervavit, ut commota præſertim multitudine, ſemper flexili, judex quoque commoveatur ad miſerationem, ubi vindictam crimen poſtulat, vel concitetur ad veniam reo dandam, quem tamen puniri exigit juſtitia. Quin etiam non raro contigit, ut cognita quoque cauſæ veritate illius animus populi orationis vehementia perturbati vocibus vel-

ut

ut maris æſtuantis fluctibus abriperetur, ac timori locum concederet, ubi fortiter agendum fuiſſet. Nihil enim eloquentiæ ſemel incaleſcenti eſt impervium, omnesque aggeres inſtar torrentis perrumpere novit. Non minus Romæ invaleſcente Rhetorum potentia Pompejus M. tertium Conſul legem tulit, qua duæ ad dicendum horæ actori aſſignabantur, patrono autem tres, ita quidem, ut intra ejusdem diei ſpatium accuſatio & defenſio utrinque concluderetur. Qua de re Cicero conqueritur his verbis: (f) *Et perterritum armis ſtudium noſtrum contiticuit ſubito, & obmutuit lege Pompeja tribus horis ad dicendum datis.* Tacitus quoque impoſitos eloquentiæ Romanæ frenos ſcribit. Sed necdum ſatis fractæ illius vires fuerunt, donec devoluto ad unum Imperio Respublica in Monarchiam tranſiit, & libertas opprimi cœpit; quo tempore non tam frequenter coire populum, nec illius arbitrio civium fortunas, bonique publici adminiſtrationem ſubjici paſſus eſt Princeps, periculoſum eſſe ratus Unius potentiæ, ſi a multorum penderet ſuffragio. Atque ita paullatim exulare coacta eſt e foro eloquentia, nec amplius concionum ſecundis adclamationibus

(f) *In Bruto.*

nibus ſuſtentata. Quare ad luxum & delicias, ad laudes & blandimeuta, maxime vero ad aures Principum demulcendas e roſtris deſcendit, & velut poſita virili veſte muliebrem induit; nec jam populus in forum confluxit ad audiendos Oratores de rebus Reipublicæ graviſſimis decernentes, ſed tanquam in theatrum ad oblectationem otioſus proſiluit, omiſſa libertatis, ac civitatis & Imperii cura. Denique quum non jam communitatis ſuffragio, ſed legum ſancitarum arbitrio cuncta agerentur, civiles cauſæ haud amplius ad Oratores, ſed ad legum peritos certatim deferebantur: ad hos velut ad Deos Tutelares confugiebant Clientes; horum effatis & Principum placitis acquieſcere cogebantur omnes. Ita dominatum, quem diu tenuere Rhetores, occupaverunt fere totum Jurisperiti, maxima Imperatorum gratia fulti; quæ periodus ad Antoninorum tempora refertur. Quare quum inter leges palam ſilendum eſſet eloquentiæ, non ſecus ac ipſis legibus inter arma, recepit ſe intra privatos parietes, & declamatoriæ, de qua dictum eſt, exercitationi totam ſe impendit, quæ ipſa quoque brevi languit, quum ſine pretio ac honore publico triſtes ſibi dies inter

pugnas

pugnas umbratiles exigendos eſſe videret. Ubi vero chriſtiana Religio caput erexit, & Chriſti jugo Imperatores quoque ac Principes colla ſubmiſerunt, priſcis illis Oratoribus ſucceſſere ſacri, qui ad concionem, & populum undique confluentem magna ſermonis vi ac majeſtate de rebus divinis, & ad animæ ſalutem pertinentibus dicere cœperunt, ſi non eloquentia, certe cauſa, quam tractandam ſuſceperant, ſuperiores.

CAPUT III.

OECONOMIA ET ARTIFICIUM RHETORICÆ.

§. I.

Quinque illius partes.

XV.

Vaſtiſſimum corpus eſt Eloquentia, grandique ambitu & adparatu immenſo gaudet, ita quidem, ut L. Craſſus in notiſſimis apud Ciceronem diſputationibus perfectum Oratorem omnium

nium fere artium cognitione imbutum esse debere gravi sermone contendat, cujus tamen judicio non acquiescere omnino videtur Tullius, qui hac in re varius est ac lubricus. M. Antonius vero neutiquam suffragatur, cui sufficit Orator, qui verbis ad audiendum jucundis, & sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus, quique praeterea sit instructus voce, & actione, & lepore. Arduum foret, & a proposito alienum, doctis hisce altercationibus se immiscere. Satis erit quinque illa membra hujus corporis, seu partes Rhetoricæ paucis exponere, in quas Rhetoricam, ejusque munus partiti sunt Cicero, & post hunc Quinctilianus, quorum vestigia secuti sunt propemodum omnes, quotquot de artis hujus præceptis scripserunt. Sunt autem *Inventio*, *Dispositio*, *Elocutio*, *Memoria*, *Pronunciatio*, quamvis & hæ partes latissime pateant, quum quævis per sese sit ars magna, ita ut facile appareat, quanta quamque ampla res sit eloquentia, quæ ex totidem artibus, quot membris componitur. Juvat heic subsistere tantisper, ac ordinem naturæ in hac scita distributione contemplari: primus omnium labor, munus primum Oratoris est invenire ea, quibus

bus fidem faciat illis, quæ dicturus est: absque horum enim inventione vaga semper erit oratio, aut brevi in fabulo hærebit, Inventionem autem excipiat necesse est dispositio, qua in ordinem redigantur, quæ inventa fuerunt: lectissimus etiam exercitus parum est aptus victoriæ, si non militum ac legionum delectus fiat; aliquæ in dextro, aliæ in lævo cornu, aliæ media in acie collocentur. Sequitur Elocutio: quid enim prodest inveniſſe, quæ dicas, ac inventa in ordinem distribuisse, si non accedat verborum & sententiarum gratia, rerum quæ dicendæ sunt, indoli quam maxime accommodata? argumenta sine elocutione milites sunt absque veste, quales nonnisi barbaræ gentes in aciem educere solent. Certe sine hac nec splendebit, nec placebit, nec movebit oratio. His autem omnibus sic comparatis memoria in partem operis vocanda est, quæ res & verba firmiter percepta fideliter reddat, ut inoffenso pede procedat, & æquabili cursu, secundoque alveo ab ore dicentis fluat oratio. Ultimum denique locum tenet Pronunciatio, sine qua cætera languent. Hæc enim vocis sonum, totiusque corporis motum gestumque cum dignitate moderatur; qua re nihil ad moven-

vendum potentius ; quandoquidem rebus & verbis quaſi pondus addit, facitque, ut dum ipſa ſpectantium oculos in ſe rapit, illa in animos penetrent, & vel invitos expugnent. His quinque partibus rite conformatis, ſibique ſuccedentibus nihil ultra eſt, quod ſeu ad artis ſeu ad oratoris ipſius perfectionem deſiderari queat : nihil quod ad naturæ ipſius ordinem, ut dixi, propius accedat. Oportet enim primum invenire, quid dicas, tum inventa diſponere, deinde ornare verbis, poſt memoriæ mandare, ad extremum agere, quemadmodum Tullius docet.

XV.

Inventio.

Jam de ſingulorum indole pauca, eaque ſumma duntaxat capita ſunt delibanda : atque inprimis de Inventione, qua id agimus, ut argumenta inveniamus tum ad fidem eis, quibus perſuadere volumus, faciendam, tum ad motus animorum excitandos, quam aptiſſima. Hæc plerumque obvia non ſunt ; nam veluti natura opes ſuas, metalla, aliaque pretioſiora intra cavernas & ſinum ſuum occulere ſolet, ſic ars Rhetorica reconditas quaſi

quaſi ſedes argumentorum habet, quæ nonniſi multo labore præſertim a tyronibus erui debent. De his præclare ait Quinctilianus: (g) *Ut in terra non omni generantur omnia, nec avem aut feram reperias, ubi quæque naſci aut morari ſoleat, ignarus: & piſcium quoque genera alia planis gaudent, alia ſaxoſis, regionibus etiam litoribusque diſcreta ſunt .... ita non omne argumentum undique venit; ideoque non paſſim quærendum eſt .... at ſi ſcierimus, ubi quodque naſcatur, cum ad locum ventum erit, facile quod in eo eſt, pervidebimus.* Vocantur autem hæ ſedes argumentorum vulgo *Loci Rhetorici*, quos propoſuit Philoſophus, (h) ex quibus omnis argumentatio ad omnem diſputationem inveniretur, quique nihil aliud eſſe videntur, quam notæ quædam, quibus admonemur, quid in ipſis perveſtigare debeamus. Duplex illorum genus eſt: ſunt enim quædam argumenta velut *inſita* materiæ, quæ tractanda ſuſcipitur, vel *remota* ſunt, & extrinſecus aſſumuntur: unde loci Rhetorici partim *interni*, quorum ſedecim, partim *externi*, quorum ſex

(g) *Lib.* 5. *Cap.* 10. (h) *In Top.*

ſex enumerari ſolent. Hos quoniam apud omnes noti ſunt, & apud omnes, qui de arte Rhetorica ſcripſerunt, quaſi venales proſtant, latius perſequi non lubet. Quædam ſolum breviter perſtringam magis recondita, & ad artificium ipſum pertinentia. Primo quidem fides adhibenda non eſt quibusdam in ea re imperitis, qui ſine uſu locorum certis rationibus uti ſe jactant, quibus totum id aſſequantur, quod a prædictis locis petitur, inventionis emolumentum. Nam ſi probe rem inſpiciamus, facile deprehendemus, omnes has rationes e locis, quos flocci facere videntur, depromtas eſſe etiam a non cogitantibus, uti contingere ſolet citharædis longo uſu exercitatis, qui non jam ad artis regulas attendentes tamen ex arte ludunt, & obſervant id, de quo vix amplius cogitant. Quamobrem eloquentiæ tyronibus diligenter inculcandi hi loci, quibus ad inventionis fœcunditatem nihil uberius, ad diſpoſitionis rationem nihil concinnius, ad memoriæ ſubſidium nihil eſt efficacius. Alterum eſt, non ex omnibus ſimul locis argumenta, velut e cunctis armamentariis arma, eſſe depromenda; hac enim ratione ſicut miles, ita orator rerum mole opprimeretur magis, quam juvaretur, nec tam adverſa-

verſario, quam ſibi noceret. Delectus eſt faciendus, eaque in medium afferenda, quibus maxima vis præ reliquis ineſt ſeu ad robur cauſæ addendum, ſeu ad motus animi concitandos. Illud autem omnino foret puerile, e ſingulis locis ordine ſuo argumenta colligere, ac viritim in aciem educere, quod eſſet artificium prodere, quod tamen occultare maxime oratori convenit. Quapropter provide monet Cicero, illius eſſe omnes locos percurrere, ſed nonniſi aptis uti. Non enim ſemper, inquit, nec in omnibus cauſis, ex iis eadem argumentorum momenta ſunt : nec inveniet ſolum, quod dicat, ſed etiam expendat. (i) Tertium denique, noſſe, quod inventio ingenii magis quam induſtriæ opus ſit ; illius enim eſt, in intima cauſæ viſcera penetrare, ac rerum naturas profunde ſcrutari, ut argumenta idonea eruantur, quæ rei in quæſtionem adductæ plurimum patrocinentur, & partis adverſæ conatus eludant, & in auditorum animos callidius ſe inſinuent. Hinc ea potiſſimum rationum momenta, & ex iis locis hauſta probantur, quæ dicimus e *viſceribus cauſæ* petita. Quare numerum

(i) *In Orat.*

rum augent Oratorum, ſed dignitatem non ſuſtentant, qui velut a levium quarumdam ratiuncularum venatione reduces ſuggeſtum conſcendunt, rati, officio tam gravi ſe ſatisfeciſſe, ac expectationi doctæ concionis, ſi horam declamando expleverint.

XVI.

Diſpoſitio.

Nihil ordine ac diſpoſitione ſeu ad res recte conſtituendas magis neceſſarium, ſeu ad gratiam illis conciliandam opportunum magis excogitari poteſt. Certe ipſa rerum natura ordine ſuo firma ſtat, quem ſi auferas, ſi elementa & ſidera loco movere, alioque ſitu collocare velis, tota machina ſoluto nexu diſſolvetur, & in priſtinum relabetur chaos. Neque etiam ullus decor ineſt rebus absque debita partium diſpoſitione: ſi enim in corpore humano aut ejus effigie pedem loco, qui manui debetur, reponas, aut caput e vertice ad ventrem deſcendere jubeas, quantumvis omnia adſint membra, & ſingula vel natura vel arte perfecta, monſtrum erit hominis, non homo. Ita prorſus contingit in oratione, a qua omnis abeſt vigor, quo animetur, omnis

omnis ornatus, quo placeat, absque ordine ac diſpoſitione partium, ſine qua perpetuo fluctuabit, & caſum potius quam conſilium ſequetur. Quare ut cum Quinctiliano loquar: (k) ſicut opera exſtruentibus ſatis non eſt, ſaxa atque materiam, & cætera ædificanti utilia congerere, niſi diſponendis iis, collocandisque artificum manus adhibetur: ſic in dicendo quælibet abundans rerum copia cumulum tantum habet atque congeriem, niſi illas easdem diſpoſitio in ordinem digeſtas atque inter ſe commiſſas devinxerit. Alter igitur, nec minor Rhetoricæ labor eſt, ut res inventas in ordinem diſtribuat; quod duplici ratione perficitur: primo quidem diſpoſitione ut vocant *naturali*, ſeu qua naturæ ordinem ſequimur, ſecundum quam unum altero prius eſt tempore, natura, loco, dignitate. Deinde *artificiali*, quam conſtruit ipſa Oratoris ars vel utilitatis vel oblectationis ergo, & in qua ſæpe prima poſterioribus ſubjunguntur, vel a mediis aut ultimis initium datur, prioribus non ſine artificio intermiſtis, quo magis audientium animi pendeant, & ex eventu minus exſpectato voluptatem percipiant, ut

(k) *Lib. 7. in Præf.*

ut eam in partem, qua tendit Orator, velociter moveantur. Præterea diſpoſitio oratoria conſideratur, prout eſt vel in tribus cauſarum generibus, vel in ipſo orationis corpore, ejusque membris. In genere judiciali ac deliberativo hic fere ordo eſſe ſolet; quem Demoſthenes & Cicero religioſe obſervant; nimirum ut initio ſtatim removeantur præjudicia, ſi quæ ſunt ab adverſario in medium allata, ac penitus evertantur. Hæc enim quamdiu auditorum mentibus inhærent, nec cauſæ patrocinio quantumvis forti, nec ſano conſilio locum faciunt. Porro in his placet ordo, quem natura ſuppeditat, præ illo, quem ars conſtruit, quoniam hic non de oblectatione mentis, ſed de avertenda pernicie, deque utilitate ac honeſtate res agitur, cui artificioſa ſtructura, præſertim ſi ſe prodat foras, plus obeſt, quam prodeſt. Quodſi concionis animi mediocribus rationibus ſint impervii, robuſtiſſima quæque argumenta in prima ſtatim acie ſunt collocanda, ut valida quaſi impreſſione facta pateſiat aditus minus robuſtis: ſi autem tranquilli fuerint, & æquitatis patientes, ea quæ levioris ſunt armaturæ, præmitti poſſunt, quibus via ſternatur majoribus ſecuturis. Non raro valida initio, validiſſi-

diſſima in fine collocantur, minus validis velut imbelli turba in mediam aciem conjectis. At in genere Exornativo ſeu Epidictico dominatur ut plurimum ordo artificialis; nihil enim minus ſapit cupido auditorum ad mentem oblectandam confluentium palatui, quam ſi in Heroam ac Principum rebus præclare geſtis celebrandis totam vitæ ſeriem a primis cunis uſque ad tumulum perſequatur oratio. Una alterave virtus, factumque inſigne præ cæteris emineat, ac variis illuſtretur coloribus, reliquis velut in picto exercitu ſine ordine certo ſumma duntaxat capita monſtrantibus. Quod vero ad diſpoſitionem adtinet, quæ per totum orationis corpus ſeſe diffundit, facilis eſt conjectura: Exordium præmittitur, quo auditor benevolus, attentus ac docilis redditur. Subjungitur narratio, quæ rem geſtam brevi facilique methodo, nec minori probabilitate proponit: ſequitur confirmatio, ubi recto argumentorum ordine vel cauſam noſtram probamus ac confirmamus, vel partis adverſæ machinationes diſſolvimus ac confutamus. Demum peroratio claudit agmen, & ea, quæ per totam orationem ſparſa ſunt, velut in pugnum colligit (Græci ἀναχεφαλαίωσιν vocant)

ac motus vehementius concitat. Sed de his partibus, earumque indole paullo poſt plura. Unum ſupereſt circa diſpoſitionem, de qua ſermo eſt, neutiquam ſilentio prætereundum; ſcilicet noſſe oportet, quod ſicut inventio ingenii, ſic diſpoſitio judicii opus ſit, & quidem grandis judicii; quemadmodum Ducis virtus & prudentia non tam in deligendo milite, quam inſtruenda ad pugnam acie cernitur. Confuſus exercitus nec placet, nec vincit, Hinc errant vehementes, qui quidquid, & fortaſſis præclare, invenerunt, in unam orationem diligentiſſime congerunt, credentes, ita mole ſua vel admirabilem vel formidabilem fore. Amplus quidem ingenio ad inveniendum excogitandumque campus pateat: convehatur copioſus commeatus, & ſuffectura pluribus rerum annona, quam lectio Auctorum & eruditio variis in artibus & ſcientiis comparata ſubminiſtret: ſed tum fiat ſelectio prudens: pauca, ſed firma, ſplendida, grandia, vehementia & peculiaria retineantur, reliquis communibus a propoſito alienis, infirmis, humilibus manumiſſis. Sedeat igitur in diſpoſitionis limine judicium cum virgula cenſoria, vel ut denuo Quinctilianus præclare ait: (1) Si

(1) *Lib. 7. Cap. 10.*

Sit in Oratore velut imperatoria virtus, copias ſuas partientis ad caſus prælio-rum, retinentis partem propter caſtella tuenda cuſtodiendasque urbes, petendos co-meatus, obſidenda itinera; mari denique ac terra dividentis. Sed hæc in oratio-præſtat omnia, cui adfuerint natura, do-ctrina, ſtudium: maxime judicium.

XVII.

Elocutio.

A diſpoſitione oratoria gradum fa-cio ad elocutionem. Hæc præcipua Rhe-toricæ dos eſt, ipſique omnino propria: de aliis enim, ut eſt invenire, diſpone-re, memoria complecti, agere, partem aliquam etiam cæteræ artes ac ſcientiæ ſibi vendicant. At elocutionis gloria to-ta, quanta eſt, ſemper penes oratoriam facultarem fuit, uti Tullius obſervat (m) dicens: inventionem quidem ac diſpoſi-tionem prudentis hominis eſſe, eloquen-tiam Oratoris; immo hujus beneficio orator oratore ſuperior, & unum dicen-di genus altero præſtantius eſt. Qua-propter ad hanc operis Rhetorici partem velis remisque contendat oportet, quis-quis

(m) *Lib. 2. de Orat.*

quis magnum aliquid ac roſtris dignum efficere cupit : huc omne ſtudium, omnis exercitatio imitatioque, adparatus omnis convertendus eſt. Reliqua enim in oratore latent, & velut inter parietes ingenii concluſa ſe tenent, quæ artificioſe inventa, quæ in ordinem diſpoſita fuerunt. Aſt per elocutionem ſeſe produnt, per hanc palam ſpectanda ſe præbent: nam *eloqui* teſte Quinctiliano (n) *hoc eſt, omnia, quæ mente conceperis promere, atque ad audientes perferre : ſine quo ſupervacua ſunt priora, & ſimilia gladio condito, atque intra vaginam hærenti.* Jam vero ut alia præteream, tria in elocutione ſpectanda ſunt : *Elegantia, Compoſitio* & *Dignitas*, quæ tres veluti charites ſunt eloquentiæ. Elegantiam voco, ſi ſermo probe latinus, purus a ſolœciſmis, ac barbariei expers, verbisque apertis, & ab uſu communi non multum abhorrentibus conſtans adhibeatur : ſed hoc quaſi patrimonium e Grammaticæ ſchola ad facultatem Rhetoricam ſecum adferre debet eloquentiæ candidatus, ſine quo omnis ulterior in hac palæſtra labor caſſus foret, non ſecus ac ſi quis non jacto prius fundamento grande ædificium moliretur. Qui plura deſiderat, librum conſulat

(n) *Lib.* 8. *Proem.*

ſulat ſecundum *de Grammatica ſeu lingua Latina.* Pauca nunc de Compoſitione, cujus munus eſt, verba inter ſe ita connectere, ut nihil aſperum, præpoſterum, aut inſuave ſonent, ut non pateant hiatus ac lacunæ, ut numeroſo quodam periodorum ambitu vinciatur oratio; id quod maxime generi exornativo convenit, quod pene totum in delectatione ſitum eſt. Conficitur autem numerus hic tum ſyllabarum facili amœnoque concentu, tum verborum quodam circuitu, quem periodum vocant; quamvis nunc cæſim, nunc membratim, prout res vel cauſa poſtulat, Oratori ſit dicendum: ubi tamen cavere oportet ſedulo, ne operoſius iſta fiant, quam prudentius, neve in dimetiendis pedibus ac expendendis ſyllabis conſeneſcat oratio. Exemplum eſto numeroſæ ac periodicæ orationis illud Ciceronis pro Cæcinna, quoniam plus exemplis res hæc illuſtratur, quam explicatur verbis: *Si quantum*, inquit, *in agro locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro atque in judicio impudentia valeret, non minus cederet Aulus Cæcinna ſexti Ebutii impudentiæ, quantum in vi facienda ceſſit audaciæ.* Dignitatem denique elocutioni conciliant præter tropos figuræ, id eſt, ornatiores formæ dicendi,

cendi, quarum duplex claſſis eſt, una verborum, altera ſententiarum: prior adjectione, detractione ac ſimilitudine verborum fit, tolliturque ſi verba mutentur, ſervitque ad illuſtre ac ſuave genus dicendi; poſterior vero interrogatione, correctione, apoſtrophe, proſopopeia, quæ permanet, quibuscunque tandem verbis uti placeat; hæcque ſeu ad docendum ſeu ad movendum maxime valet. At in figuris verborum parcus debet eſſe Orator, ne ſi absque judicio & immodice adhibeat, eam ipſam, quam quærit, varietatis gratiam peſſumdet. Amplior patet campus ſententiarum figuris, quæ non ſolum ad exornandam orationem, verum etiam ad movendos animos & affectus vehementes ciendos plurimum momenti adferunt. Nolim ego heic ſeu omnes ſeu ſingulas enumerare figuras, quum obviæ ſint vel ipſis tyronibus, ac longum earum, exactumque catalogum texant fere omnes, quotquot de arte Rhetorica enucleatius ſcripſere. Mei enim inſtituti non eſt, ut initio operis monui, plenam cujusque artis ac ſcientiæ doctrinam propinare, ſed ea ſolum in medium adferre, quæ ad rectum, juſtumque de illis judicium ferendum prodeſſe poterunt. Illud univerſim de elocutione notari velim,

lim, non paucos noſtra etiam ætate reperiri, qui falſa quadam eloquentiæ imagine decepti in id omne ſtudium ſuum conferunt, ut grandibus verborum bullis, audacibus metaphoris, ſeſquipedalibus periodis, ac ſententiarum plauſtris orationem onerent, aut dicendi genere a communi uſu quam remotiſſimo utantur; verbo, non eloquentes, ſed grandiloqui eſſe magno faſtu adfectent: & ſic demum tanquam inſignes eloquentiæ Proceres ſeſe circumſpiciunt, quodque pejus eſt, aliorum quoque ſemidoctorum admirationem ac plauſum hac futili & juvenili oris jactantia mercari ſtudent. *Grandis*, inquit Petronius in Satyr. *& ut ita dicam, pudica oratio non eſt maculoſa, nec turgida, ſed naturali quadam pulchritudine exſurgit.* Equidem figurarum verborumque quæſitos colores, & ſermonis curam probo, ſi cum majeſtate decora ſit; omnem vero in hoc ſolum negotium ſolicitudinem profundere, huic moroſius inhærere non probo. Eſt enim oratio ex ſenſibus & verbis compoſita, velut homo ex anima & corpore conflatus: quis autem adeo demens eſt, & expers humanitatis, ut corporis culturam animæ ſaluti præhabendam eſſe ſerio cenſeat? hoc ſane faciunt, qui negle-

neglecto heroicorum ſenſuum ſtudio totos ſe verborum lenociniis impendunt. Audiant iſti graviſſimum Fabii hac de re judicium: (o) *Nam & quod recte dici poteſt, circumimus amore verborum; & quod ſatis dictum eſt, repetimus: & quod uno verbo patet, pluribus oneramus..... quid? quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur diſertum, quod & alius dixiſſet ... tum demum ingenioſi, ſi ad intelligendos nos opus ſit ingenio.*

XVIII.

Memoria.

Non immerito quidam vocant memoriam *horreum humanæ mentis, ac theſaurum eloquentiæ*, in quibus optimarum artium fruges, exemplorum, legum, ſapienter dictorum, beneque factorum opes diligenter reconduntur, ut ſuo tempore expromantur, iisque locupletetur oratio. Abſque hoc præſidio, quantumvis in inveniendo, diſponendo ac exornando emineat domi orator, foras tamen prodire cum dignitate non poterit, nec in ſuggeſtu ſtare ſine præſenti hæſitationis, vel turpis ſilentii periculo. Duplex illius

(o) *Lib.* 8. *in Proœm.*

lius officium eſt, nimirum facile percipere, ac fideliter continere. Sunt enim quidam, quorum memoria quæcunque legerunt vel audierunt, prompte ac velut tabulæ inſcripta repetit, ita ut ſingula, uti geſta ſunt, nec interrupta ſerie, reddere valeat; quæ tamen brevi evaneſcunt inſtar characterum, quos ſuperveniens ſpongia delet. Alii vero ſemel memoriæ impreſſa tenaciter retinent: mora tamen ſatis longa indigent, nec niſi repetitis vicibus percipiunt: quidam denique in utroque genere excellunt; quæ res plurimum utilitatis ac venuſtatis adfert oratori, præſertim crebrius ad concionem dicenti. Non pauci autem diſputant, naturæ an arti hac in re primæ ſint deferendæ. Naturæ donum eſſe memoriam dubitare nefas eſt: artem vero in eo conſtituunt cum Cicerone ac Quinctiliano, ut vaſtum veluti ædificium aut cubile animo concipiatur, in quo varia modicis intervallis loca & ſigna ſint diſtributa, in quibus quæ fuerint ſcripto vel cogitatione comprehenſa, ordine ſuo collocentur, ut his locis & ſignis admonita excitataque memoria, quum dicendum eſt, eadem ſerie illa ipſa, quæ ibidem depoſuit, fideliter depromere noverit. Ego

ita

ita ſentio : memoriam quidem naturæ munus eſſe, ac valere plurimum : augeri tamen ut alia omnia, ſi ab arte cultus & expolitio accedat. Cætera id, de quo dixi, artificium in ediſcenda oratione perpetua parum proderit verbis atque ſententiis memoriæ ſic mandandis, quum & locorum & ſignorum, in quibus reponerentur, multitudo facile confuſionem pareret, & infiniti laboris eſſet : magnum tamen emolumentum afferet promendis tum ſingulis orationis partibus, earumque articulis, tum argumentis & affectibus, tum illis membris, ubi ab uno ad alterum tranſitus fit. Illud omnibus certum, hanc Rhetoricæ partem diligentiſſime a primis unguiculis excolendam eſſe, utpote quæ ſi negligatur, ex omnibus mentis facultatibus quaſi prima conſeneſcit. Erit igitur opus non tam artificioſis illis imaginibus, & phantaſiæ ſimulacris, ſed exercitatione quadam quam moderata, tam crebra & fere quotidiana, ut nunquam rubiginem contrahat, ſed promptam ſe, facilemque ad uſus omnes præbeat. Verum de memoria ſatis. Nunc ad pronunciationem gradum faciamus.

XIX.

XIX.

Pronunciatio.

Eſt illa, ſi Auctorem ad Herennium audiamus, vocis, & vultus, & geſtus moderatio, temperantiave cum venuſtate, id eſt, decore, dignitate, gratia & venere. Complectitur autem duas quaſi partes, ſcilicet, vocem & geſtum, uti monet Quinctilianus: (p) *Pronunciatio*, inquit, *a plerisque actio dicitur. Sed prius nomen a voce, ſequens a geſtu videtur accipere . . . . Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet.* Harum partium altera ad aures, altera ad oculos attinet, per quos duos ſenſus ad animum omnis fere cognitio pervenit. Utraque ſimul juncta miram ſane in Oratore vim ac poteſtatem obtinet. Nam quæ intra ejus animum aguntur, & ingenii ac judicii opera ſunt, minus patent concioni, quæ omnia oculis & auribus metiri ſolet: contra vero, quæ cernuntur & audiuntur, ut ſunt voces & actiones, vehementius in mentes illius penetrant, & vivas interiorum ſenſuum imagines poſt ſe relinquunt. Quid? quod

(p) *Lib.* II. *Cap.* 3.

quod argumenta quantumvis firma vires ſuas perdant, niſi voce valida fulciantur; & affectus omnes langueſcant, ſi non actione ac corporis totius habitu ſuſtententur. Commune, quodque parti utrique convenit, præceptum eſt, ut vox & corporis geſtus cum orationis genere conſentiant, ejusque vim totam ita exprimant, ut grandia grandi, mediocria mediocri, læta læto, triſtia triſti, & in univerſum omnia ſimili quodam vocis ſono actioneque proferantur. Et quoniam de voce primus loquendi locus eſt, ea ſic conformari debet, ne ab oratione diſcordet. Illius bonitas optanda quidem eſt maxime, ut Cicero docet; deinde quæcunque fuerit, tuenda & exercenda. Hoc ut fiat, moderatio magiſtra accedat neceſſe eſt: graviſſima non placet, & tenuiſſima diſplicet; nam ſubmiſſo illo murmure debilitatur omnis intentio: contra autem dicere omnia clamoſe, inſanum eſt. Nihil vero ad vocis vim obtinendam utilius eſſe, ait Cicero, quam crebram mutationem, nihil pernicioſius, quam effuſam ſine intermiſſione contentionem. Vox facilis, clara, pura, flexibilis, beata, & a ſua bonitate nunquam diſcedens multas pro rerum varietate admittit varietates, e qui-

quibus omnis ei decor efflorescit. Dici non potest, quantam & in auditorum mentibus voluptatem cieat, quantumque ipsius oratoris laborem leniat vicissitudo vocis, & ars eam variandi, dum monotonia, seu vox eodem semper fluens sono, utrumque & eum qui audit, & illum qui orat, misere excruciat, & fere enecat. Quemadmodum vicissitudo tempestatis annum nobis gratum amœnumque reddit, si suo cuivis tempori, Veri, Æstati, Autumno, & Hyemi, respondeat; ita & varietas mutatioque vocis suavissime afficit animum, si suis accommodata sit partibus. Gravem ut plurimum, tardamque postulat exordium: narratio submissam, lenem, æquabilem: confutatio, ubi argumentis pugnandum est, acutam, sonoram, insultantem: ubi vero affectibus indulgendum, nunc mollem ac flebilem, nunc rapidam & concitatam: peroratio denique potentem, sublimem, & tota oris contentione profusam exigit. Optime faciet Orator, si primum sedata depressaque utatur, tum magis sonante, ac demum velut imperante, atque ita quasi per gradus omnes sonorum ascendat oratio. Sed enim vocalis hujus varietatis moderatrix esse debet animi cogitatio. Hæc namque

ſumma cauſſa eſt pronunciationis, ut vox ſit animi interpres & nuntia. Quippe ſunt voces, ut nervi in fidibus, atque ita ſonant, uti a motu animi ſunt pulſæ.

XX.

Hactenus de prima Pronunciationis parte: ſupereſt altera, quæ vocem animi motibus pulſam corporis geſtibus imitari & exprimere docet. Itaque geſtus ſcite a Cicerone nuncupatur: *ſermo corporis & eloquentia membrorum.* Argumento eſſe poteſt Pantomimus, qui ſola actione, ſine voce, omnia ſpectantibus ſignificat. Quapropter Neronis ævo Demetrius Cynicus, ubi hominem ejusmodi in arte ſua Magiſtrum publico in theatro ſpectaſſet ludentem, exclamaſſe fertur: *Audio o homo, quæ agis; non ſolum video, ſed videris mihi ipſis etiam manibus loqui.* Neque homines ſolum, ſed & bruta ſermone carentia, iræ, lætitiæ, adulationis, triſtitiæ motus interiores oculis, capite, aliisque corporis geſtibus manifeſte produnt, & quod majus eſt, in picturis & imaginibus tacite per ductus colorum eloquentibus non rararo intuemur, ac intelligimus non ſine admiratione integras rerum geſtarum ſeries

ries. Univerſe de totius corporis geſtu pronunciare licet, eam eſſe legem, ut omnes vocis flexiones ſubſequatur actio, non quidem illa ſcenica & geſticulatoria, atque ad omnes vocum numeros ſubſiliens, ita ut ſi de cantu ſermo ſit, nunc digitis velut cytharam pulſantibus, nunc manibus ad os quaſi ad fiſtulam inflandam admotis, ſi de ferro cudendo, extenſis inſtar cyclopum brachiis juveniliter ludatur: ſed in id orator intentus eſſe debet, ut virili laterum flexu geſtum magis ad ſenſum, quam ad verba accomodet. At de ſingularum partium motu habituque differere nimis longum foret, præcipuarum quædam ratio habenda eſt. Capitis demiſſio mœſtitiam, luctum, & verecundiam conſequitur, ut in Didone apud Virgilium: (q)

Tum breviter Dido vultum demiſſa profatur:

Frons exporrecta lætitiam, contracta mœrorem ſignificat. Oculi plurimum valent, ut Fabianus notat, per quos maxime animus emanat; quique quot animi motus ſunt, tot ſignificationes & commutationes habent: in ſublime elati pe-

(q) *Lib.* 1. *Æneid.*

ti petentium aliquid a Deo ſpeciem referunt: (r)

Ad cælum tendens ardentia lumina fruſtra.

Demiſſi faciunt judicium animi dejecti, averſi vero indignantis & reſpuentis:

Illa ſolo fixos oculos averſa tenebat.

Manus ſane præcipuam in oratorio geſtu partem ſuſtinent. Cæteræ partes, inquit Quinctilianus, loquentem adjuvant: hæ fere ipſæ loquuntur. An non enim his poſcimus? (s)

Ingemit, & duplices tollens ad ſidera palmas.

Pollicemur? vocamus? minamur? ſupplicamus? abominamur? timemus? interrogamus? negamus? &c. In pedibus denique ſtatus & inceſſus obſervetur decorus: Status erit erectus & celſus: Inceſſus permiſſus eſt Oratori, ſed rarus, & tantum in cauſis publicis, ubi ſuggeſtus amplus & ſpatioſus eſt: diſcurſare tamen ineptiſſimum. Quare Flavius Virginius urbane interrogavit de quodam Oratore æmulo ſuo, *quot millia paſſuum decla-*

(r) *Lib.* 2. *Æneid.* (s) *Lib.* 1. *Æneid.*

declamaſſet? ut rem paucis dicam, præcipua actionis inſtrumenta complexus eſt Poeta his verbis:

Sic oculos, ſic illa manus, ſic ora ferebat.

Atque hæc, quæ de vocis geſtusque artificio hucuſque dicta ſunt, neutiquam diſſimulanda cenſui, quum res hæc in facultate oratoria tanti ſit momenti, ut Cicero aſſerere non dubitaverit: (t) omnia perinde eſſe, ut aguntur: actionem in dicendo unam dominari; ſine hac ſummum oratorem eſſe in numero nullo poſſe. Demoſthenes autem rogatus, quid eſſet in dicendo primum, poſtremæ huic Rhetoricæ parti ſeu pronunciationi, prout complectitur vocem & geſtum, primas, huic ſecundas, huic tertias dedit. Certe Hortenſius, diu princeps Oratorum, poſtea æqualis Ciceroni, perpetuo autem ſecundus, quamvis ejus ſcripta longe abfuerint ab illa vivæ eloquentiæ fama, tamen dicendo mire placuit, quia loquendo agendoque plurimum valuit, uti Fabius de illius juventute, annisque Conſulatum præcedentibus teſtatur: poſt quam dignitatem obtentam quæ prius placuit actio,

(t) *Lib. 3. de Orat.*

actio, tanquam viro Consulari minus digna displicere cœpit, uti Gellius, & ipse Cicero memorant.

§. II.

Quatuor Orationis partes.

XXI.

Exordium.

Oratio proprium ac præstantissimum Rhetoricæ opus est, ad quod constituendum omnem præceptorum suorum adparatum confert, in quod ornandum omnes eloquentiæ gazas profundit, in quo perficiendo omnis ars ejus & industria desudat. Quum autem orationem nomino, non communem intelligo locutionem quadam naturali facundia progenitam (neque enim primi homines proœmiis præparare, docere expositione, argumentis probare, affectibus commovere norunt; sed naturæ ductum uti in aliis, sic etiam in loquendo secuti sunt) non inquam communem intelligo locutionem; verum sermonem gravem, copiosum, non interruptum, ad persuadendum probe accomodatum, verbo Rhetoricæ characteribus insignitum, quales potis-

tiſſimum tres ſunt: *docere*, *delectare*, *movere*. Docere neceſſitatis eſt, delectare ſuavitatis, movere vero ac flectere victoriæ. Intra hos veluti cardines totum Oratoris officium continetur. Namque docendo intellectus, quid judicandum, quid agendum, quid fugiendum vel amplectendum ſit, percipit: movendo autem voluntas in eam, qua intellectus facem præfert, partem impellitur, ne dici poſſit:

Video meliora, proboque

Deteriora ſequor.

Delectando demum id conſequitur Orator, ut utrumque facili ſuavique negotio fiat; quippe facilius percipimus ea, quæ intellectui cum delectatione permixta proponuntur; ſuavius vero amplexamur, ſi mentis quædam oblectatio voluntatem prius ineſcat, ac delibutam obſideat. Huic triplici officio quatuor orationis partes reſpondent, nempe *Exordium*, *Narratio*, *Confirmatio*, & *Peroratio*. Nam ad docendum narratio & confirmatio, ad movendum affectus pertinent, qui per omnem quidem cauſam, maxime tamen in exordio & peroratione dominantur; delectatio autem, quam-

vis in his omnibus locum habeat, magis tamen ad elocutionem harum partium, per quas diffunditur, referenda eſt, quam inter ipſas partes collocanda. De his igitur breviſſime acturus ſum : longior enim tractatio iis potius convenit, qui de arte tota præcipiunt, quam illis, qui duntaxat de arte ſanum judicium ferre docent. Exordium quod Latini vocant, Græci Προοίμιον ſeu Proœmium dicunt : illud nomen ſuum a Textoribus telam ordientibus, iſtud a cantu Citharedorum, quem legitimo certamini favoris emerendi gratia præmiſerunt, ſortitum eſt. Non minus enim Orator ad conciliandos judicum & concionis animos præfari ſolet. Eſt autem Ciceroni principium orationis, per quod animus auditoris vel judicis conſtituitur, vel adparatur ad audiendum. In hoc tria præcipue ſpectantur : *benevolentia*, *attentio*, & *docilitas*. Benevolos reddimus auditores, quum aut a perſonis, aut a rebus ipſis exordium ducimus : attentos, ſi nos de magnis & utilibus rebus dicturos palam profiteamur : dociles denique, ſi ſummam negotii breviter quaſi ob oculos ponamus. Exempla triplicis hujus dotis e Tullio licebit promere, quoniam his plus diſcitur,

tur, quam præceptis. Primum ſit de benevolentia concilianda pro Cn. Plancio: *Nunc autem veſter, Judices, conſpectus, & conſeſſus iſte reficit & recreat mentem meam, quum intueor & contemplor unumquemque veſtrum: video enim hoc in numero neminem, cui mea ſalus chara non fuerit, cujus non exſtet in me ſuum meritum, cui non ſim obſtrictus memoria beneficii ſempiterna. Itaque non extimeſco, ne Cn. Plancio cuſtodia meæ ſalutis apud eos obſit, qui me ipſum maxime ſalvum videre voluerunt.* Alterum de attentione excitanda in oratione nobiliſſima, quam inſcribit *pro Domo ſua. Quodſi ullo tempore magna cauſa in Sacerdotum populi Romani judicio ac poteſtate verſata eſt; hæc profecto tanta eſt, ut omnis Reipublicæ dignitas, omnium civium ſalus, vota, libertas, aræ, foci, dii penates, bona, fortunæ, domicilia, veſtræ ſapientiæ, fidei, poteſtatique commiſſa creditaque eſſe videantur.* Tertium de docilitate comparanda pro A. Cluentio, ubi ſic exorditur: *Animadverti Judices, omnem Accuſatoris orationem in duas diviſam eſſe partes: quarum alteræ mihi niti, & magnopere confidere videbatur invidia jam inveterata judicii Juniani: altera tantummodo conſuetudinis*

cauſa

cauſa timide & diffidenter attingere rationem veneficii criminum: qua de re lege eſt hæc quæſtio conſtituta. Itaque mihi certum eſt hanc eandem diſtributionem invidiæ & criminum ſic in defenſione ſervare, ut omnes intelligant, nihil me ſubterfugere voluiſſe reticendo, nec obſcurare dicendo. Verum hæc non ita velim intelligi, ac ſi tres hæ dotes exordii ſemper, ubique, & coram omni concione in Exordium ſint conjiciendæ: quippe non ſemper adſunt, a quibus benevolentia eſt expetenda: neque attentio plerumque deeſt Auditoribus, eo fine confluentibus, ut attendant. Ad quid ergo opus longo circuitu, ut quæ ſponte offeruntur, velut oſtiatim emendices? Cavendum non minus, ne inanibus verborum illecebris, & inutili periodorum ambitu apud viros graves ac prudentes initio ſtatim perdas, quam tanto ſtudio quæris, benevolentiam; quod cumprimis ſacri Oratores ſibi dictum exiſtiment. Sane in graviſſimo illo ſenatu, Areopago, nullus præluſionibus & exordiis locus concedebatur; ſed Orator poſtquam pauca præfatus eſt, jubebatur rem ipſam aggredi. Præterea oportet, ne ſint communia, ita ut pluribus aut contrariis cauſis facile aptari poſſint: neque enim ſutor

tor calceos cujusvis pedibus aptos confi-cere ſolet. Rurſus ne ſint e longinquo petita, vel a propoſito aliena, ſeparata, vel translata; ſed e cauſæ viſceribus, ut ajunt, ducantur, ſintque veluti veſtibu-la domus, per quæ recta in illas aditus pateat. Sed de Exordio ſatis.

XXII.

Narratio.

Narrationem dixi, ſecundam eſſe par-tem: hæc eſt rerum explicatio, qua fa-ctum aliquod ad quæſtionem pertinens exponitur; eſtque Quinctiliano teſte qua-ſi ſedes ac fundamentum fidei conſtitu-endæ. Subjungitur exordio in judiciis, ſi ea opus ſit; ſcilicet, ſi quid geſtum ſit, ignoratur, aut certe in dubium vo-catur: nemo enim, quæ omnibus palam ſunt, auſit narrare. At in exornatione ac deliberatione vix locum habet, niſi quod non raro in ipſo orationis decurſu quarumdam rerum geſtarum mentionem cum laude aut vituperio utiliter faciat Orator. Ejus dotes fere tres ſunt: ut ſit *brevis*, ut *aperta*, ut ſit *probabilis*. Erit autem brevis, ſi verbis ſimplicibus conſtet, nil repetatur, nil quod extra cauſam poſitum eſt, in medium produca-tur.

tur. Unde initium duci debet ab iis, quæ ad judicem pertinent; reſcindenda vero illa, velut inutiles pampini, quæ ad cognitionem cauſæ nihil vel parum utilitatis adferunt. Nam ut ait Fabius: ſupervacua cum tædio dicuntur: neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. Cavendum autem vel maxime hac in re a periodis, ambituque omni verborum: potius recta breviſſimaque ſemita incedendum, & conciſis ſententiis contexenda eſt narratio. Ita fiet, ut res geſta tenacius inhæreat audientium memoriæ, fideliter redituræ, quando neceſſum erit in ipſo rationum conflictu, æſtuque argumentationis. Ut vero aperta ſit ſeu perſpicua, verbis utendum propriis ac uſitatis: explicandum factum non interrupta rerum ac temporum ſerie: vox quoque temperanda, nec clamoribus extollenda, ſine quibus aliqui nihil apud multitudinem effici perperam exiſtimant, ſibique tunc diſerti videntnr, ſi omnia tumultu & vociferatione concuſſerint. Denique probabilis fiet, ſi, quæ narrat Orator, talia ſint, ut perſonis, locis, atque temporibus omnino conveniant, ſi cauſſas ac rationes factis præponat, ſi nihil afferat, quod a naturæ genio abhorreat; ſi perſonarum characte-

res

res ſtudioſe exprimat; verbo tum optime dicit Orator, ait Quinctilianus, quum videtur vera dicere, vel certe vero ſimillima. Hoc autem ſi ullibi, profecto in narratione obſervandum eſt. Cætera non modicum in hac orationis parte artificium eſt, oppido tamen latens ac tectum, in quo plus valet calliditas Oratoris, quam eloquentia. Nam ſcita narratio per occultas vias in animum concionis ita ſeſe novit inſinuare, ut quid deinceps agendum ſentiendumve ſit, jam intra ſe deſignet atque conſtituat; quemadmodum luculentus teſtis eſt Tullius, cujus narrationes omnes grandi ſunt artificio, et ſi dicere fas eſt, veteratorio elaboratæ.

XXIII.

Confirmatio.

Tranſeo ad tertiam partem ſeu Confirmationem, in qua præcipua vis oratoriæ artis ineſt, immo tota ſpes vincendi, perſuadendique ratio. Hæc occupatur tum in noſtris confirmandis, & proprio nomine dicitur Confirmatio: tum in contrariis infirmandis, & confutatio adpellatur. Ita in omni juſto prælio non ſolum milites ſe tuentur ipſos, ſed etiam hoſti-

hoſtiles cuneos perrumpere ſatagunt. Eſt autem Confirmatio propria ſedes argumentorum, e locis Rhetoricis deſumtorum, quæ tamen elumbia erunt, & ſine viribus, niſi accedat argumentatio, quæ argumenti explicatio eſt per propoſitiones ita diſpoſitas, ut prioribus conceſſis negari non poſſit id, quod exinde concluditur. Hujus varia ſunt genera: *ſyllogiſmus*, *enthymema*, *inductio*, *exemplum*, cui *dilemma* & *ſoriten* adjungunt, quæ cuivis etiam tyroni obvia ſunt in libris de arte Rhetorica conſcriptis. Illud tamen animadverſione dignum, quod licet quandoque aperta veluti fronte ponantur ratiocinationes, enthymemata, dilemmata, &c. breviter & ſtrictim concludentia, plerumque tamen dilatari ea oporteat, & eloquentiæ cimeliis exornari, ne dialecticæ diſputationi ſimilior, quam orationi ſermo noſter videatur. *Locuples* monet Fabius (u) *& ſpecioſa vult eſſe eloquentia, quorum nihil conſequetur, ſi concluſionibus certis & crebris, & in unam prope formam cadentibus conciſa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam ſervitute, & ex copia ſatietatem, & ex amplitudine faſtidium tulerit. Feratur igitur non ſemitis, ſed campis.....*

& ut

(u) *Lib.* 5. *Cap.* 14.

& ut latissimi amnes totis vallibus fluat, ac sibi viam, si quando non acceperit, faciat. Quare removenda est ab oratione syllogismorum & enthymematum turba, paucisque si minus expresse, magna tamen dexteritate utendum; quod fiet, si non simpliciter ac nude propositiones incedant, sed aliis insuper argumentis confirmentur, passimque figurarum illustrentur ornamentis, ut Caussinus observat: ipsa denique conclusio satis per se intellecta latenter per varios motus, quasi per cuniculos in animum irrepat. Præterea orator in Confirmatione venatorem imitetur, qui solicite retia in omnem partem sic distribuit, firmatque, ne qua data porta elabatur fera: ita sane argumentationes inter se nectendæ sunt, ac rationum pondere confirmandæ, ut adversarius in quamcunque partem sese vertat, ubique viam, qua extricare se possit, sibi præclusam inveniat. Denique ingenio, si ullibi, certe hic opus est sagaci & acuto, ut una argumentatio alteri manum præbeat, eleveturque tamdiu, donec de re tota proposita penitus Auditores convincantur. Jam vero ad refutationem quod attinet, non raro confirmationem antecedit, nimirum tunc, quan-

quando præjudicatis opinionibus concionis animi ita ſunt obſeſſi, ut nec benevole nec attente dicentem ſint excepturi, priusquam præjudiciis illis liberentur: Atque hoc ordine uſus eſt Cicero in oratione, qua Milonis cauſam defendendam ſuſcepit. Contra vero quandoque ſequitur confirmationem, ſcilicet ſi ſatis feliciter audiendos nos credimus; quamvis quidam dubitationum aculei hæreant adhuc in præſentium animis defixi, quos evellere oportet, ut omnino victas eloquentiæ manus præbeant, quemadmodum Tullius fecit, dum pro lege Manilia peroravit. Quocunque loco ponatur, illud ſibi perſuaſum habere debet orator, majoris eſſe moliminis refutare, quam confirmare, uti difficilius eſt ſanare vulnera, quam infligere. Quippe accuſatori plerumque ſufficit, ſi oſtendat verum eſſe, de quo contendit. At patronus clientem defenſurus in omnem ſe partem vertat neceſſe eſt; cominus & eminus illi pugnandum: mille artes & machinæ ſunt adhibendæ: modo negare oportet, quæ objecit adverſarius, modo defendere aut excuſare vel minuere: nunc deprecari, nunc flectere ad miſericordiam, nunc avertere ictum, vel deſpicere, ac riſui exponere Accuſatorem. Quare nulli mirum vide-

videri debet effatum Quinctiliani dicentis: *Accuſationibus etiam mediocres in dicendo ſuffecerunt: bonus defenſor nemo, niſi qui eloquentiſſimus fuit.* (x) Cæterum ex iisdem locis ac fontibus argumenta petit refutatio, e quibus confirmatio, quum ex his ipſis, e quibus aliqua res confirmari poteſt, etiam infirmari queat, nec alia eſt in utroque genere ſententiarum, verborum ac figurarum conditio. Itaque ſi argumenta noſtra expoſuerimus, contrariaque diſſolverimus, omni ex parte graviſſimo oratoris muneri factum erit ſatis.

XXIV.

Peroratio.

Ultimam ſedem occupat inter quatuor orationis partes, totumque illius ambitum veluti coronat Peroratio, quam alii Epilogum vocant. Hæc extremum oratoris opus eſt, ad quod rite perficiendum omnes profecto ingenii vires impendere, omnes eloquentiæ fontes aperire debet, ut non ſolum ſponte ſequentes, ſed etiam reluctantes animos eo, quo reliqua oratio tendebat, impellat, eosque expu-

(x) *Lib.* 5. *Cap.* 13.

expugnet. Et vero, in hoc velut ultimo actu Oratoris ſeu mediocritas ſeu excellentia ante oculos concionis univerſæ ponitur, patetque

Quid valeant humeri, quid ferre recuſent.

Non raro enim uſuvenit, ut ſplendida fiant exordia, & reliquum orationis corpus ad omnem elegantiam exornetur, finis tamen langueat, & ars tota jaceat, ubi vel maxime triumphare oportuiſſet. Ita ſæpe contingit non paucis, ut poſtquam plenis velis, ſecundisque ventis ſunt invecti, in ipſo portu naufragium patiantur vel labore fracti, vel tædio quodam demum victi, ſimiles illis, qui magno animo atque fiducia labyrinthum ingrediuntur, ſed poſt multiplices orationis mæandros & circuitus exitum non inveniunt. Eximia fuit hac in re felicitas Marci Tullii, in cujus perorationibus mira ſermonis varietas, affectuum conflictus acerrimi, & eloquentiæ robur dominabatur, ita ut huic uni oratores reliqui omnes, qui cum ipſo dicebant, in hac poſtrema orationis parte facile palmam cederent. Tota vero illius ratio potiſſimum in duobus ſita eſt, ſcilicet in enumeratione, ac motu. Illam Græci dicunt

cunt ἀναχεφαλαίωσιν, per quam ſumma, quæ per orationem late ſparſa fuerunt, capita velut in pugnam contrahuntur, ut tota cauſæ œconomia ſub unum conſpectum cadat. Duo tamen ſcopuli ſolicite ſunt vitandi: primum quidem prolixitas, ne altera potius oratio eſſe videatur, quam peroratio: deinde etiam brevitas, ne mera ſit & nuda eorum, quæ dicta jam ſunt, repetitio, ac ſi Concionis memoriæ diffideremus. Igitur hæc ipſa enumeratio figuris varianda eſt, & aptis excitanda ſententiis, ut vetera novis coloribus illuſtrata compareant, & auditorum mentibus ordine quæque ſuo ſeſe objiciant. Plus vero animorum motibus eſt tribuendum, quibus aries expediatur ad ultimam quaſi impreſſionem faciendam, qua expugnetur ſeu jam inclinata, ſeu fluctuans adhuc Concio. Præcipui affectus ſunt obteſtationis, & miſerationis. Quare Cicero, quamvis a Stoicorum ingenio non multum abhorrens, ad lacrymas uſque deſcendere non dubitavit, dum pro Milone ait: *Sed finis ſit; neque enim præ lacrymis jam loqui poſſum, & hic ſe lacrymis defendi vetat.* Et pro C. Rabirio Poſthumo: *Sed jam quoniam, ut ſpero, fidem quam potui, tibi præſtiti Poſthume, reddam jam*

lacrymas, quas debeo .... jam indicat tot hominum fletus, quam ſis charus tuis, & me dolor debilitat, includitque vocem. Majorem autem hi affectus vim habebunt, ſi per figuras Exclamationis, Apoſtrophes, Antitheſis, & cumprimis per figuram Proſopopœjæ ſe prodant, qua & rebus anima carentibus, uti patriæ, religioni, civitati, parietibus & tumulis vita & vox inſpiratur, ad movendum & perſuadendum validiſſima, ut videre eſt apud Ciceronem pro Milone: *O me miſerum! O me infelicem! Revocare me tu in patriam Milo potuiſti per hos, ego te in patria per eosdem retinere non potero?* Et 1. in Catil. *Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vita mea multo eſt charior, ſi cuncta Italia, ſi omnis Respublica ita loqueretur: M. Tulli, quid agis, &c.* Atque hæ ſunt quatuor orationis partes, in quibus communia, tritaque ut plurimum prætermiſi, eaque ſolum attigi, quæ præ cæteris eminent, & inter arcana numerari merentur.

§. III.

§. III.

Tria dicendi genera.

XXV.

Genus dicendi Oratorium universe ſpectatum.

Rhetoricam eſſe artem *bene dicendi* apud omnes in confeſſo eſt: At quid ſit *bene dicere*, quave ratione id obtineatur, non ita palam eſt. Equidem ipſe princeps eloquentiæ Cicero ait: Optimum eſt illud dicendi genus, quod omnibus & ubique placet. Sed quis non videt, quam multis criſibus obnoxium ſit hoc Tullii effatum? præcipue quum ſingulis fere ſeculis mutari videamus judicium aurium. Aſperitas & duritia ſermonis placuit Catoni & Gracchis, nihil in oratione, niſi quod virile foret, probantibus. At Craſſus & Antonius concinnitati ſtudebant, nec tam ſuis, quam alienis auribus blandiri cupiebant. Hos autem omnes numeroſa & per ambitum circumducta oratione conabatur vincere Cicero. Verum inclinante in ferrum argenteo ſeculo ſub Veſpaſianis & Trajano invehi cœpit mollis quædam, fracta & effœminata dictio, ita ut orationes, quemadmodum Tacitus

queritur, ad lyram non aliter, quam Poetarum carmina canerentur. Nec jam ad ævi noſtri guſtum facere videtur priſca illa elocutionis majeſtas ac firmitas, ſed delectabile quoddam & eruditione multa conſperſum dicendi genus præhabetur cæteris. Amplius quid dicam: Ludovicus Vives tam gravis quam rigidus cenſor *in Lib. de corrupt. artibus* nitorem linguæ majorem caſtioremque fuiſſe arbitratur in Cajo Cæſare & M. Bruto, aliisque Romanis Principibus, quam in M. Tullio: quin quod ejusdem phraſin diſplicuiſſe nonnullis teſtetur, nempe Bruto, & ipſi Pomponio Attico, cæteroquin Ciceroni amiciſſimis, ita ut cæteros non tam ornatu dictionis (quamquam ornatiſſimus eſſet) quam rerum plurimarum notitia, cauſas tractandi dexteritate, gravitateque ſententiarum ſuperare ſit viſus. Quid autem quantumve huic Vivis judicio ſit tribuendum, arbiter eſſe nolim: Tullium tamen ipſum loquentem ſiſto: (y) *Eſt inſigne*, ait, *florens, pictum & expolitum orationis genus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores . . . . in eo omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiæ continetur.* Verum quamvis cunctas Rhetoricæ gazas,

(y) *In Orat.*

zas, cunctasque sermonis gratias oratio numeris suis absoluta sinu suo continere debeat, nihilominus perpetua observatio docet, præcipuos Oratores, licet omnibus elocutionis dotibus locupletes, in una tamen plerumque excelluisse, eoque veluti charactere ab aliis distingui. Ita in Isocrate suavitatem, subtilitatem in Lysia, acumen in Hyperide, sonitum in Æschine, vim in Demosthene, numerum & energiam in Cicerone admiramur. Scipio gravitatem, lenitatem Lælius, profluens quid & canorum Carbo dicitur habuisse. Quis horum non eximius? & tamen quis cuiquam alteri, nisi sibi similis? quis non in suo genere princeps? Contingit hac in re præclarissimis Oratoribus id, quod celeberrimis Pictoribus & Architectis, qui licet nomen suum tabulis a se pictis, aut ædificiis constructis minime addant, facile tamen a rerum peritis suo nomine quivis appellatur, & artifex agnoscitur e lineis, coloribus, personarum habitu, e structura, columnarum ordinibus, parergis, &c. verbo, e signis quibusdam & dotibus imaginis, aut fabricæ, in qua nimirum quisque alios antecelluit. Sed audiamus denuo Ciceronem, de hoc negotio universim pronunciantem, totamque eloquentiæ opu-

lentiam, egregie ut ſolet, explicantem: Ornatur igitur oratio genere primum, & quaſi colore quodam, & ſucco ſuo, nam ut gravis, ut ſuavis, ut erudita ſit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut ſenſus, ut dolores habeat, quantum opus ſit, non eſt ſingulorum articulorum: in toto ſpectantur hæc corpore; ut porro conſperſa ſit quaſi verborum, ſententiarumque floribus, id non debet eſſe fuſum æqualiter per omnem orationem, ſed ita diſtinctum, ut ſint quaſi ornatu diſpoſita quædam inſignia & lumina. Genus igitur dicendi eſt eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiunt, & quod non ſolum delectet, ſed etiam quod ſine ſatietate delectet. Hac velut præfatione præmiſſa, ad triplex dicendi genus ſingulatim exponendum pergo. Quemadmodum enim tria ſunt oratoris officia, *docere*, *delectare*, *flectere*, uti alibi diximus, ita tria ſunt dicendi genera, hiſce officiis reſpondentia: *ſubtile*, quod docet, medium ſeu *temperatum*, quod delectat, *ſublime*, quod flectit. Subtilitas e Zenonis Pœcile, ſeu Porticu, mediocritas e Lyceo Ariſtotelis, ſublimitas e Platonis Academia promanarunt. Omnium vero trium horum generum altrices

Athe-

Athenæ fuerunt; at ſingulorum officinæ variæ ſunt.

XXVI.

Dicendi genus ſubtile.

Primum, quod ſe offert, eſt ſubtile, acutum & tenue, quod alii etiam ſimplex vocant. In hoc teſte Quinctiliano (z) præcipue ratio narrandi probandique conſiſtit. Princeps autem illius character eſt claritas, ſimplicitas ac brevitas. Amat enim incedere liberum ſine vinculis numerorum, nec ad delicias uſque exornari ſe patitur, & quamvis figuras non omnino aſpernetur, paullo parcius tamen iis utitur: acutis crebrisque ſententiis gaudet, ornamenta verborum cum tropis verecunde admittit; odit tamen quæſitas venuſtates, ne elaborata concinnitas, & quoddam delectationis aucupium manifeſte deprehenſum appareat. Aberunt ſordes; elegantia & munditia remaneat: ſermo ſit purus & latinus: dilucide planeque omnia dicantur, tecto artificio; nam ars hoc in negotio, ubi primum apparet, ars eſſe deſinit. Unde illa veterum circa occultandam eloquentiam ſimulatio ab hac temporum noſtrorum jactatione recedit, dum nil niſi

(z) *Lib.* 12. *Cap.* 10.

niſi quod novum, admirabile, priſcis ſeculis vel non auditum, vel noſtris omnino jam obliteratum ſeu proferre volumus, ſeu percipere, non ſine grandi ſimplicitatis jactura. Huic generi ſubtili proprium id eſt, ut quo facilius adpareat, eo difficilius ſit: qui occultas artis hujus vias ignorant, ſtatim putant, ſe æque bene, vel melius idem dicturos fuiſſe, poſtquam audierunt. At ſi manum admoverint ipſi, & ad imitandum acceſſerint, hæret aqua, & primum experiuntur difficultatem, atque intelligunt, quantum interſit inter illam quotidiani ſermonis imitationem cum ſubtili ac fulgurante ratiocinatione conjunctam, & inter turgidum ac inflatum dicendi genus. Unde Cicero apud Quinctilianum quodam loco ſcribit, id eſſe optimum, quod quum te facile credideris conſequi imitatione, non poſſis. Alio vero: non id ſe egiſſe, ut ita diceret, quomodo ſe quilibet poſſe confideret, ſed quomodo nemo. Verum quum hæc ipſa res ſubtilior ſit, quam verbis exprimi poſſit, exemplum narrationis, in hoc primo dicendi genere omnino illuſtris, e Tullio afferam: (a) *In itinere quidam proficiſcentem ad mercatum quemdam, & ſecum*

(a) *Lib. 2. de Invent.*

ſecum aliquantum nummorum ferentem eſt comitatus : cum hoc , ut fere fit , in via ſermonem contulit , ex quo factum eſt , ut illud iter familiarius facere vellent. Quam brevis, quam clara non tam narratio, quam rei ipſius pictura hæc eſt! *Quare cum in quandam tabernam divertiſſent , ſimul cænare , & in eodem loco ſomnum capere voluerunt , cænati diſcubuerunt ibidem.* Quam aptis familiaritas ſubito contracta verbis & factis exprimitur ! elegans, repetitito : ſimul cænare voluerunt, cænati diſcubuerunt ibidem. *Caupo autem (nam ita dicitur poſt inventum , quum in alio maleficio deprehenſus eſſet) quum illum alterum videlicet , qui nummos haberet , animadvertiſſet noctu , poſtquam illos arctius , ut fit , jam ex laſſitudine dormire ſenſit , acceſſit , & alterius eorum , qui ſine nummis erat , gladium prope appoſitum e vagina eduxit , & illum alterum occidit , nummos abſtulit , gladium cruentum in vaginam recondit , ipſe ſeſe in lectum ſuum recepit.* En ! quam ſimplici breviſſimoque ſermone rem totam, ut geſta eſt , omnibus circumſtantiis veſtitam non tam auribus quam oculis exponat. Notanda etiam elegantia verborum illorum : poſtquam illos arctius,

ut

ut fit, jam ex laſſitudine dormire ſenſit. *Ille autem, cujus gladio occiſio fuit facta, multo ante lucem ſurrexit, comitem illum ſuum inclamavit ſemel ac ſæpius, illum ſomno impeditum exiſtimavit: ipſe gladium & cætera, quæ ſecum attulerat: ſolus profectus eſt. Caupo non multo poſt conclamavit hominem occiſum, & cum quibusdam diverſoribus illum, qui ante exierat, conſequitur: in itinere hominem comprehendit, gladium ejus e vagina educit, reperit cruentum; homo in urbem ab illis deducitur, ac reus fit.* Quis non admiretur hic, quaſi vivos colores ſermonis, quibus crudele factum Cauponis, & vaferrimum hominis ingenium illuſtrat, remque omnem vero ſimillimam reddit? quam ſcite ad declarandam feſtinationem ſupprimit verbum, dum ait: ipſe gladium & cætera quæ ſecum attulerat .... Simulatio, nem Cauponis, ac ſi totius facinoris minime conſcius fuiſſet, ante oculos ponunt verba: gladium ejus e vagina educit, reperit cruentum, &c. Ciceronianæ narrationis exemplo aliud addere juvat de ſubtili genere dicendi in probationibus ex Quinctiliano, (b) dum filium cæcum de nece patri illata per invidiam

(b) *Declam. 2. pro Cæco.*

vidiam Novercæ accusatum defendit : *An hoc quoque inter artes Novercæ, ut omnibus sceleris sui partibus sensim quieteque dispositis, ipsa ad excitandam familiam fecerit strepitum, cui hoc solum supererat, ut sic inveniretur. Fragor, quo familia excitata est, si redeuntis cæci fuit, deprehensus juvenis esset, antequam gladium referret. Ut sciatis, Judices, neminem fuisse in domo, quem non fragor ille confuderit : cæcus quoque inventus in limine est, sicut solet ultro citroque comeare. Juvenis si inter suum patrisque cubiculum facile discurrit, quid adhuc in limine facit ? evasit, effugit, gladium jam reposuit. Et quanto facilius est cæco simulare somnos, vultum quietis imitari ? Quod per fidem majus subitæ confusionis argumentum est, quum quod cæcus exilivit, & stetit ? Gravius necesse est, ut expaveſcant, quibus de solitudine sua renunciant oculi : & quorum concluſus animus non exit in visus, non habet unde timori suo par sit. Deprehensus est Juvenis, ubi illum destituerat impetus timoris. Potest negligere cæcitas in cubiculo suo ducem, in quo dies omnes, cunctasque noctes agit iter, quod jam multis offensis, multis edidicit erroribus. Extra limen cæcitas est, inde error, inde tene-*

tenebræ. Nihil eſt innocentius cæco, qui nec in ſcelere deprehenſus eſt, nec in diſſimulatione, &c. Omnia hic ſubtiliter; omnia plana, ſed conciſa; ſtringunt ſingula, perſuadent univerſa: nec quidquam a communi ſermone abhorret. Nam ut ait Tullius (c) in cæteris artibus id maxime excellit, quod longiſſime ſit ab imperitorum intelligentia ſenſuque disjunctum: in dicendo autem vitium vel maximum eſt, a vulgari genere orationis, atque a conſuetudine communis ſenſus abhorrere.

XXVII.

Genus dicendi ſublime.

Hoc eſt illud, quod Tullio teſte ſonitu magno curſuque fertur, quod ſuſpiciunt omnes, quod admirantur, quod ſe aſſequi poſſe diffidunt: atque hoc diu Athenis & Romæ præſertim in publicis deliberationibus dominabatur. Ejus dotes ſunt, ut ſit amplum rebus, grave ſententiis, copioſum verbis, ornatum figuris, vimque maximam habeat inſtar torrentis, qui ſaxa devolvit, & pontem indignatur; aut inſtar fulminis, quod e gravidis nubibus ſubito erumpit, & quævis

(c) *Lib. 1. de Orat.*

vis ſibi obſtantia cum fragore disjicit. Nolim tamen hæc ita intelligi, ac ſi tota oratio, velut ingruente valida tempeſtate cœlum, ejusmodi fulminibus fœta eſſe debeat, aut torrentem ubique imitetur, quin ullus aquæ per alveum placide incedenti locus concedatur. Nam ſublime hoc genus reperire eſt tum in eo, ubi ampliſſimus dicendi campus patet, & quaſi catena ratiocinationum nectitur, tum in illo, quod anguſtius eſt, vivos tamen ductus quosdam ingenii, & vibratos admittit, quum utrique huic generi nobilis illa & grandis cogitandi, animique ſenſus intimos exprimendi ratio ineſſe poſſit, quæ res ſtylo ſublimi propria eſt. Ita legimus Demoſthenem in ea oratione, quam pro Cteſiphonte dixit longe celebratiſſimam, ſubmiſſius a principio; deinde dum de legibus diſputat, preſſius; poſt ſenſim incedentem, ubi judices vidit ardentes, in reliquis exultaſſe audacius: tota tamen oratio ad genus ſublime merito refertur. Quemadmodum autem primum illud ſeu ſubtile ac ſimplex inſtruendo docendoque, quin etiam delectando, mire uti dictum eſt, ſervit, ſic ſublime utili proboque conſilio adhibetur, vel ubi res grandes & heroica facta cum admiratione exornanda ſeſe

offerunt ; nam ut ait Cicero , (d) *Eloquentiam , quæ admirationem non habet , nullam judico* : vel ſi affectus pathetici ſunt ciendi , judicesque ad miſericordiam aut ad iram & vindictam ſcelerum ſunt commovendi ; vel ſi concio tota languens excitanda, impellendaque vehementer eam in partem , quam orator ſibi propoſitam habet. Atque hoc ipſo charactere genus ſublime a medio , de quo paullo poſt dicam , ſeſe diſtinguit : iſtud enim poſterius quantumvis eloquentiæ cimeliis elegantiisque dives incedat , non tamen movendo aptum eſt , nec niſi ad animi ſuperficiem penetrat , eumque velut intactum & quietum relinquit : illud autem prius mentem lectorum vel auditorum ſupra ſeipſam attollit , & dum tonat , ac fulminat , ſtupore quodam defixam rationem tenet , ſuique impotentem reddit , ut ejus virtuti ac vehementiæ reſiſtat ; quin etiam non raro hac ſublimi ac majeſtate plena dictione ita mente quaſi capiuntur præſentes , ut quo in loco ſint , ignari in varios voluntatis affectus erumpant , uti contigit in cauſa Cornelii Balbi , quam Cicero defendendam ſuſcepit. Nam ubi magnificam de laudibus Pompeji M. mentionem inſeruit , Romanus populus velut extra

(d) *Epiſt. ad Brutum.*

extra ſe raptus, & decoris oblitus orationem interrupit non acclamatione ſolum, ſed & manuum plauſu, quod neutiquam fuiſſet factum, ſi communem ſimplicemque ſtylum, licet elegantiis plenum, adhibuiſſet. Non eadem vero ubique ratio eſt ſublimis hujus generis. Platonis ſermo non ubique erat rapidus, nec cum tumultu inceſſit; propterea tamen ſublimis eſſe non deſiit: contra Demoſthenis conciones fortes, violentæ, & inſtar tempeſtatis ac fulminis vehementes fuerunt, licet arctis concluſæ ripis, atque conciſæ. At Ciceronis oratio ſimul diffuſa, latiſſimeque vagata, ſimul obvia quæque quaſi devoravit atque conſumpſit, quemadmodum ignis ſubito erumpens, qui novas, quo longius graſſatur; vires acquirit, cunctaque in cineres redigit. Ecce! rei hujus exemplum illuſtre, (e) quando mortem Clodii iræ atque vindictæ Deorum adſcripſit, quorum templa & aras criminibus ſuis profanavit: „ Vos, ait, Albani tumuli, atque luci, „ vos inquam imploro atque obteſtor, „ vosque Albanorum obrutæ aræ, ſacro„ rum populi Romani ſociæ & æquales, „ quas ille præceps amentia, cæſis pro„ ſtratis-

(e) *Orat. pro Milone.*

„ proſtratisque ſanctiſſimis lucis, ſubſtru-
„ ctionum inſanis molibus oppreſſerat :
„ veſtræ tum aræ, veſtræ religiones vi-
„ guerunt, veſtra vis valuit, quam ille
„ omni ſcelere polluerat. Tuque ex edi-
„ to monte, Latialis ſancte Jupiter, cu-
„ jus ille lucos, nemora, finesque ſæpe
„ omni nefario ſtupro & ſcelere macula-
„ rat, aliquando ad eum puniendum
„ oculos aperuiſti. Vobis illæ, vobis,
„ veſtro in conſpectu, ſeræ, ſed juſtæ ta-
„ men & debitæ pœnæ ſolutæ ſunt. „
Atque hoc in exemplo Ciceroniano intueri ſimul licet ea, quæ ad ſublime genus plurimum conferunt, adjumenta. *Primum* eſt cogitandi quædam ratio nobilis, grandis & magnifica, quæ proficiſcatur ab occulto quodam ſpiritu, pleno magnarum idearum, & generoſorum animi ſenſuum, eſtque imago ſublimis animæ. Quam nobilis cogitatio Tullii, dum tumulos, aras, Deos compellat, & ſcelerum vindices inclamat? dum ait, *Jovem ad puniendum tandem oculos aperuiſſe*, quaſi tempore ſat longo ac tarda diſſimulatione clauſos tenuiſſet, &c. *Alterum* ſunt verba magnitudini cogitationum reſpondentia, quæ ſublimem earum ſpiritum fortiter ac feliciter exprimant, absque tamen faſtu & tumore, qui contempo-

temptum potius, quam admirationem meretur. Quam grandia cum dignitate verba illa: *quas ille præceps amentia ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat.... Tuque ex edito monte, Latialis ſancte Jupiter?* *Tertium* denique adjumentum ſunt figuræ, quæ plurimum vitæ ac vigoris in dictionem transfundunt, eamque ſupra communem loquendi modum elevant, ſine quibus humi repunt excelſæ etiam cogitationes, & affectus torpore quodam conſtricti languent. Patent cuique in præſenti exemplo figuræ obteſtationis, repetitionis, exclamationis, ſynonymiæ, &c. profecto graviſſimæ.

XXVIII.

Dicendi genus Temperatum.

Subtile inter & ſublime, veluti geminos inter cardines, aliud dicendi genus ab eloquentiæ Magiſtris collocatur, nempe medium, quod alii *Temperatum* vocant, quoniam ab utroque aliquid participat, ita ut humili illo ſit uberius aliquanto, atque robuſtius: ſubmiſſius tamen, quam ſit id, de quo dictum eſt, ampliſſimum; nempe acumine ſubtilis, neque fulmine utens ſublimis, ambobus vicinum, in neutro excellens: atque ita

gratam quandam temperiem, amœnamque indolem ſortitur inſtar aeris calidum inter & frigidum temperati, quum hujus ſermonis facultati Eloquentia quaſi reſervarit, quidcunque pulchri, floridi ac fulgidi poſſidet. Nullum enim ex omni ornamentorum divite penu, quam habet Rhetorica, eſt, quod tertio huic generi non conveniat; quidquid verbis ornatum, quidquid in ſententiis ſplendidum, in hoc effunditur, & quo nervorum minus, eo plus ſuavitatis continet. Nam ut Quinctilianus obſervat, (f) medius hic modus & translationibus crebrior, & figuris erit jucundior, egreſſionibus amœnus, compoſitione aptus, ſententiis dulcis, lenior tamen, ut amnis lucidus quidam, & virentibus utrinque ſylvis inumbratus. Plurimum autem momenti eſt in hoc negotio, vera dictionis ornamenta diſcernere a falſis, & ſolidum aurum a bracteis ſonoris. Multos enim juvenum oratorum, necdum intima rimari viſcera aſſuetos, extima ſpecie fucatæ cujusdam eloquentiæ decipi quotidie videmus ac deploramus. Itaque dictionis pretium eſt certa quædam ſermonis gratia, qua ſe reddat auribus ſuavem ac lenem, in animos autem cum quadam

(f) *Lib.* 12. *Cap.* 10.

dam dulcedine ſe inſinuet, atque ita ſine violentia perſuadeat. Quippe oratoris munus non eſt, loqui duntaxat eo fine, ut intelligatur, ad quod ſatis utique foret ſimpliciſſima uti methodo loquendi, dummodo clara eſſet atque perſpicua: ſed eo tendat oportet, ut convincat & moveat, quod nunquam obtinebit, ſi non modum inveniat, quo delectet, quove placeat: nec enim ſeu in mentem ſeu in cor auditorum penetrare poterit, quin prius viam ſibi ſternat, tranſeatque per imaginationem, quæ non excitari ſe facile patitur, niſi ſenſibili quadam voluptate irrigetur. Hinc Quinctilianus docet, facilius credere audientem, quæ jucunda ſunt, & voluptate ad fidem motumque duci. Quapropter oratorius ſermo non ſolum claritatis ac perſpicuitatis dotes requirit, nec probationum pondere ac ſoliditate cogitationum contentus eſſe debet: accedat neceſſe eſt gratia quædam dictionis, amœnitas, & ſine ambitione decor, quo velut rore matutino perfundatur & humectetur. Atque hæc ſunt, quæ ornamenta orationis adpellamus, ſuntque adeo neceſſaria, ut ſine his victoriam ſperare non liceat oratori cauſam agenti, pronumque ſit, juſtitiam & veritatem iniquis hominum ar-

tibus ſuccumbere absque hac dulci violentia. Expertus hoc eſt ſummus ille vir Rutilius, exemplum innocentiæ, ut ait Cicero, qui dum ab impiis & peſtiferis civibus Romæ in judicium raperetur, vetuit cauſam ſuam ornatiore quodam dicendi genere defendi, ſed ſimplici ratione & auſteritate aliqua Philoſophica, quæ ſolius veritatis ductum ſequeretur. Sed quo emolumento? Tullius prodit his verbis: (g) *Nunc talis vir amiſſus eſt, dum cauſa ita dicitur, ut ſi in illa commentitia Platonis civitate res ageretur.* Verum quæ ornamenta, de quibus loquor, genuina ſint, quæve ſpuria, facilius productis ſtyli oratorii vitiis, quam longis præceptis addiſcitur. Cavere inprimis oportet, ne ſit inflatus ac tumidus ſeu in verbis, ſeu in ſenſibus, ſeu in utrisque; qualis maxime eſt, qui allegoriis atque metaphoris nimium indulget, ut ſi cum Ennodio *Epiſt. 9.* eloquentem hominem laudare velis: *dum favos loqueris, & per domos cereas eloquentiæ nectare liquentis elementi mella componis, peregrinum labiis meis ſaporem epuli divitis infudiſti.* Contra non minus vitio vertitur ſtylus humilis ac rudis, dum vel minutulas res avidius deſcriben-

(g) *Lib.* 1. *de Orat.*

ſcribendo ſectamur, vel adhibemus verba ſine delectu, ſine ſtructura; cujus exemplum affert Auctor librorum ad Herennium: (h) *Nam iſtic ad balneas acceſſit, ad hunc poſtea dixit: hic tuus ſervus me poſtulavit, poſtea dixit hic illi, conſiderabo: poſt ille convicium fecit, & magis magisque præſentibus multis clamavit.* At puerilis ſtylus omnino non ferendus, qui vel inopia judicii, vel cognata quadam ſermonis redundantia ineptis digreſſionibus, inutilibus deſcriptionum ambagibus, & figurarum pampinis luxuriat. Sic Apuleius puerum ſcite comtum deſcribens pueriliter: *Erat intonſus*, ait, *& genis gratus, & corpore glabellus. Crines ejus præmulſis antiis, promulſis caproneis anteventuli & propenduli. Veſtis textu tenuis, tactu mollis, purpura radians. Quid? quod & lyra ejus auro fulgurat, ebore candicat, gemmis variegat.* Huic vicinus eſt, ſed æque vitioſus ille ſtylus, qui ſcholam nimium olet. Namque oratores recens e ludo egreſſi non raro id agunt, quod gazophilaciorum Præfecti, qui hoſpitibus & advenis omnes ſimul opes, omniaque artefacta monſtrant, eorumque conſpectui exponunt,

(h) *Lib.* 4.

nunt, ſemper tamen eadem, & omnibus, quotquot ſpectatum veniunt: ita illi, de quacunque re dicere jubeantur, omnes locos Rhetoricos coacervant, omnes figurarum angulos excutiunt: præfationis, narrationis, digreſſionum & tranſitionum rationem auditoribus curate præbent, totis viribus in id intenti, ne ullum ornamenti genus incautis elabatur, & ut tota oratio iis, quæ in ſchola dicerunt, deliciis locuples ſit, artificio nimium aperto, ſuique prodigo. Res hæc exemplo non indiget, quum quotidie ante oculos & aures verſetur. Nec hilo melior eſt Poeticus ſtylus, in ſinu Muſarum natus; quamvis enim Poetarum lectio ad oratoris inſtitutionem perutilis ſit, numero tamen, pedum menſura, vocum ſaltibus, & concentu Poetico nihil in oratione abſurdius. Propterea merito reprehenditur Ammianus Hiſtoricus, hyemem deſcribens: *Hyeme vero humus cruſtata frigoribus, & tanquam levigata, ideoque labilis inceſſum præcipitantem impellit, & patulæ valles per ſpatia plana glacie perfidæ vorant nonnunquam tranſeuntes.* Hæc igitur procul abeſſe debent ab oratione, utpote quæ non ſolum non augent, ſed omnem ornatum peſſumdant, uti pulchritudinem corpo-

corporis membra plus prominentia, aut macie ſubſidentia, vel contorta, aut pigmentis illita. Nam oratio ſicut corpus hominis ea demum pulchra eſt, in qua non eminent venæ, nec oſſa numerantur, ſed temperatus ac bonus ſanguis implet membra, ipſos quoque nervos rubore tingit, ac decore coronat. Scopulis his caute prætervectis, ſecure licet navigare, atque omnes artis divitias proponere, adhibere ingenioſas cogitationes, expreſſiones fortes, figurarum delicias, metaphoras nonnihil audaciores, periodorum ambitus ampliores, verbo: quidquid Rhetorica magnificum & fulgurans ſinu ſuo complectitur, heic licet expromere. Nam *in hoc genere* Quinctiliano teſte (i) *permittitur adhibere plus cultus, omnemque artem, quæ latere plerumque in judiciis debet, non confiteri modo, ſed oſtentare etiam hominibus in hoc advocatis.* Cavendum tamen ſedulo, ne totus æquali ſtylo decurrat ſermo, ubique pictus, ubique comtus, ubique unionibus ſcintillantibus plenus, ſine diſcrimine dictionis, ſine rerum varietate. Semper enim quædam remiſſius, quædam abundantius dicenda occurrunt: in aliquibus ingenio frena laxanda ſunt, in

(i) *Lib.* 2. *Cap.* 11.

in aliis contrahenda, atque ut in muſica, ita & in oratione reſpirandi tempus eſt relinquendum. Certe nec pictura placet oculis, cui nulla admiſcetur umbra, ſed ubique lumen dominatur. Hæc lumina orationis velut oculi ſunt eloquentiæ: ſed nec oculos eſſe toto corpore volumus. Neque illud omnino diſſimulandum, ornamenta temperatæ dictionis talia eſſe debere, ut potius a cauſa, quam ab oratore profecta credantur, quo artificio uti nihil difficilius, ita nihil gratius eſſe ſolet audienti, ſi exultantis ingenii motus, lateque vagantes decentem quandam gravitatem modeſtiamque ubique comitari videat, ſentiatque.

XXIX.

Jam vero, priusquam de hoc tertio eloquentiæ genere ornatiſſimo politiſſimoque finem dicendi faciam, exemplum illius numeris omnibus abſolutum adferre juvat ex oratione Tulliana pro M. Marcello, in qua dotes omnes ornatæ dictionis uno conſpectu intueri licet: *Nullius tantum eſt flumen ingenii, nulla dicendi ac ſcribendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare, ſed enumerare C. Cæſar, res tuas geſtas poſſit: hoc*

hoc tamen affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es. Solco sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero prœliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri: nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quum tuis non dicam cursibus, sed victoriis illustratæ sunt. Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens sim: sed tamen sunt alia majora. Sistere heic juvat tantisper, ac verborum copiam, elocutionis abundantiam, periodorum amplitudinem majestatemque admirari. Quam fortis illa expressio: *Nec vero disjunctissimas illas terras, &c.* vafre simul ac scite adulationis suspicionem declinat statim initio, dum ait: *hoc pace dicam tua.* Sed pergamus: majora sunt, quæ sequuntur: *Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare*

care cum militibus, ne propriæ ſint Imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus, multum juvant. Maximam vero partem quaſi ſuo jure fortuna ſibi vendicat, & quidquid eſt proſpere geſtum, id pene omne ducit ſuum. At vero hujus gloriæ, C. Cæſar, quam es paulo ante adeptus, ſocium habes neminem. Totum hoc, quatumcunque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum. Nihil ſibi ex hac laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turba decerpit. Quin etiam illa ipſa rerum humanarum domina Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert, tibi cedit, tuam eſſe totam & propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur. Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: ſed tamen ea viciſti, quæ & naturam & conditionem ut vinci poſſint, habebant. Nulla enim tanta vis, tanta copia, quæ non ferro & viribus debilitari frangique poſſit. Verum animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem non modo extol-

lere

leve jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego. cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico. Excelſæ heic mentis ideæ, pari verborum magnificentia illuſtratæ ubivis emicant. Quam nobilis cogitatio, dum Fortunæ rerum humanarum dominæ ſpolia detrahit, eaque Cæſari tribuit? quam gravis ſententia: *Nunquam enim temeritas, &c.* quanta vis extollendi factum Caji: *Hæc qui faciat, &c.* Sed graviora reſtant. *Itaque Caje Cæſar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non ſolum noſtris, ſed pene omnium gentium linguis; neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticeſcet; ſed tamen ejusmodi res, etiam dum audiuntur aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur & tubarum ſono. At vero cum aliquid clementer, manſuete, juſte, moderate, ſapienter factum, in iracundia præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in victoria, quæ natura inſolens & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus: quo ſtudio incendimur, non modo in geſtis rebus, ſed etiam in fictis, ut eos ſæpe, quos nunquam vidimus, diligamus? Te vero quem præſentem intuemur, cujus mentem, ſenſusque & os cernimus, ut, quidquid belli fortu-*

fortuna reliquum Reipublicæ fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes medius fidius, Caje Cæsar, ut mihi videtur, hujus curiæ tibi grates agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, & suis sedibus. Quam plena heic omnia figuris amœnissimis simul & gravissimis? quos animo sensus ingerunt illa: *obstrepi clamore militum, &c. iracundia, quæ est inimica consilio, & victoria, quæ natura insolens, &c. Parietes medius fidius, &c.* Totum sane cornu copiæ suæ, eloquentiæque Tullius hac oratione in Cæsaris laudes evacuasse videtur.

Atque hæc sunt tria illa dicendi genera celebratissima, in quibus artis istius apex versatur, quæ qui perfecte assecutus fuerit, is demum summi Oratoris nomen meretur. Duo tamen adhuc supersunt animadversione digna. *Primum*, Oratoris esse, ut apto singula loco adhibere norit, uti Demosthenem fecisse refert ipse Cicero, (k) dum in longe optima illa pro Clesiphonte oratione, de qua non ita pridem memini, initio submissius

(en!

(k) *In Orat.*

(en! temperatum) dein dum de legibus disputat, pressius (en! subtile) post sensim progrediens, judices ut vidit ardentes, in reliquis exultavit audacius (en! sublime) *Alterum* est, non in ampliore solum seu oratione seu orationis parte triplex hoc genus dominari, verum intra breves etiam atque angustos terminos cogi posse. Exempla præbet Virgilius in Æneide de Trojano excidio; Primi quidem dum canit:

Et campos ubi Troja fuit.

Pauciſſimis his verbis ac ſubtiliſſimis totam urbem Trojanam quaſi abſorbet Poeta, ut ne quidem ruinæ veſtigium relinquat: Alterius vero;

Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam viſum ſuperis, cecidit-que ſuperbum
Illium, & omnis humo fumat Neptunia Troja.

Eandem, quam prius, rem explicat Poeta, ſed ornato & ampliore ſtylo, gravi, ac ſucci pleno. Tertii demum, ubi excidium his verbis perſequitur:

Venit ſumma dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troes; fuit ilium & ingens
Gloria Teucrorum, ferus omnia Jupiter Argos
Tranſtulit, incenſa Danai dominantur in urbe.

En! copioſiſſimam atque ſublimem, ac vehementem omnino dictionem. Quis fons, quis torrens, quod mare tot fluctibus, quot hæc verbis inundat?

CAPUT IV.

CLARI ORATORES.

§. I.

Clari in Dicendo.

XXX.

Sylvam ingredior, ſeu potius hortum, pulcherrimis ſimul ac innumeris eloquentiæ floribus vernantem, & frugiferis conſitum arboribus, dum præſtantes in dicendo viros ab omni retro ætate

te recenſere aggredior; non quidem omnes, quod infiniti laboris opus foret, ſed in Republica literaria magis notos magisque conſpicuos, & oratoriæ artis characteribus illuſtriores, quorum memoria ingens incitamentum eſſe iis debet, qui ad altiores in eloquentia gradus enituntur. Cæterorum ducem ſe ſiſtit *Pytheus*, qui primus in templo Muſis dicato Rhetoricæ artem, ut fertur, profeſſus eſt, eamque ſingulari libro complexus poſterorum utilitati transſcripſit. Ejus imago exſtat apud Fulvium Urſinum, in numiſmate expreſſa: encomium vero apud Pauſaniam in Corinthiacis. Plenior autem eloquentia ortum ſuum debet Græciæ, & in hac magno Parenti *Homero*, quamvis pedibus ligatis incedenti. Hunc pictorum nonnemo, Galaton dictus, ingenio æque ac penicillo potens mira ſpecie depinxit, aurea ſcilicet flumina ore vomentem ſuo, quæ plenis cyathis excipiebant circumſtantes Poetæ, ut haurirent ex hoc fonte, quod in alios diſpenſarent. Utinam & Oratores Poetis adpinxiſſet Galaton, quum a Tullio Homerus *Orator*, & *plane Orator*, ab Hermogene Rhetorum præſtantiſſimus, a Sidonio ſuada mundi & magnum Os, ab aliis eloquentiæ Magiſter ſalutetur.

Homerum ducem plura Græciæ lumina ſecuti ſunt, inter quos *Solon*, cui acre ingenium, & ſermo vehemens erat, quo Piſiſtratum nefaria molientem oppreſſit, Salaminem Patriam ſuam Athenienſibus ad bellum adverſus Magarenſes incitatis vindicavit, & Crœſi Lydorum Regis faſtum depreſſit: *Themiſtocles*, excelſo Vir ingenio, imperatoria ſimul ac oratoria dignitate conſpicuus, quod ipſe in ſua, quam ad Andrios legatus habuit, oratione præſtantiſſima fatetur, quam ita exorſus eſt: *Veſtram hodie in urbem, Andrienſes, appuli, duorum Numinum comitatu ſtipatus, ſuada & violentia.* Non minor Themiſtocle *Pericles*, qui primus eloquentiæ, cui ex aſſe ſe devovit privatos intra parietes, vim virtutemque in forum traduxit, & populares cauſas defendendas ſuſcepit. Fulmen in lingua circumferre dicebatur: ita potens erat ipſius oratio, & in concionis animos ubique dominabatur. Hinc Archidamus Lacedæmoniorum Rex interrogatus, an Pericle potentior eſſet, ſcite reſpondit: Quamvis Pericles in bello ſit a me victus, ea tamen eſt facundia præditus, ut quum de his ratiocinetur, non victus ſed victor adpareat. Nobile monumentum

cum reliquit apud Thucydidem (l) nempe orationem funebrem, qua ſummis laudibus extulit eos, qui pro patria fortiter occubuerunt. His tamen longe ſuperior erat *Plato*, quem *Divinum* vocant, quemque non ſolum profanæ, ſed etiam ſacræ eloquentiæ Proceres Auguſtinus, Hieronymus, Juſtinus, Baſilius, &c. honorificentiſſime compellant, ejusque dicendi genus ſublime, prudentia, gravitate, ſuavitateque plenum admirantur. Certe neminem eſſe, qui Platonem eloquentia ſuperare poſſit, teſtatur Cicero, (m) aitque, Jovem ſi eloqui vellet, non alia quam Platonis lingua uſurum: & Fabius nulli dubio locum eſſe contendit, quin præcipuus fuerit ſive acumine diſſerendi, ſive eloquendi facultate quadam Divina & Homerica, (n) id quod non tam Veterum elogia, quam ipſa Platonis opera palam faciunt. Nemo tamen ex omnibus Græciæ Oratoribus eſt, qui *Demoſthenī* non aſſurgat, eique palmam concedat. In hoc ars virtutes omnes eloquentiæ collegit, ut natura in iride colores: hic Quinctiliano decem Oratorum, quos ſimul una ætas Athenis tulit,

(l) *Lib.* 11. (m) *In Bruto.*
(n) *Lib.* 10. *Cap.* 1.

lit, longe princeps, ac pene lex orandi eſt. Et quid mirum? omnia, quæ natura noverca illi objecit, obſtacula pertinaciſſimo conatu ſuperavit. Lapillis intra palatum ſumtis literæ caninæ ſonum, quo carebat, ſibi comparavit, & in montes eluctando ſpiritus trahendi copiam ſibi fecit: Satyro uſus Comico, qui ſingulos geſtus indecoros corrigeret, quin etiam ſpeculo ante ſe poſito, quo motus quosque ſeveriores caſtigaret. Ita factum, ut qui, quum primo ad populum dixit, omnium cachinnis exciperetur, brevi tempore cunctis oratoribus præhaberetur, & tota ex ejus ore penderet concio. Profecto admiranda vis, ſublimitas ingens, impetus quidam calorque maſculus animi, ornatus cultusque ſermonis vix imitandus in Demoſthenis orationibus ubivis emicant. Notum eſt graviſſimum D. Hieronymi de illo judicium: (o) *Demoſthenes Ciceroni præripuit, ne eſſet primus; Cicero Demoſtheni, ne ſolus eſſet.*

Sed a Græcis ad claros in dicendo Viros, quos Latium dedit, pergamus. Inter hos primum facile locum, ſi tempus & initium latinæ eloquentiæ ſpectemus,

(o) *Lib. de vita Cleric.*

mus, nec invito Cicerone ipſo (p) obtinet *L. Junius Brutus*, cujus ſermo quam potens eſſet, ſatis demonſtrat factum, quo Tarquinios Romæ dominantes civitate expulit, Regium nomen ſuppreſſit, ac Urbi in libertatem aſſertæ magiſtratus annuos, leges atque judicia dedit, Collegamque ſuum Tarquinium Collatinum conſulari dignitate abdicare ſe coegit, ipſe rerum ſumma Romæ potitus; quod apud populum ambitione ac gloria tumentem efficere nemo potuiſſet, niſi qui idem eloquentiſſimus foret. Et ſane jam tum temporis Romæ Oratorum facundiam floruiſſe ſatis certum eſt indicium, quum Brutus funebri oratione fuerit decoratus, quod eloquentiæ genus e reliquis poſtremum fuit. Brutum excipiat *M. Cato Senior*, Civis optimus, ſenator prudentiſſimus, Imperator invictus, idemque graviſſimus orator: ſermo illi quidem auſterus aliquanto, nec ad numerum compoſitus, ſcilicet pro temporum illorum ratione; at nihil ejusdem ſententiis argutius, nihil dictione gravius; & ſi quædam mitiges, paucaque mutes, cæteræ omnes eloquentiæ virtutes ſeſe produnt. Orationes Catonis centum

(p) *In Bruto.*

tum quinquaginta & amplius numerantur, inter quas eminet illa, quam pro lege Oppia contra mulierum luxuriam dixit, qnæque apud Livium exſtat. Quam grave exordium! *Si in ſua quisque noſtrum Matrefamilias, Quirites, jus & majeſtatem viri retinere inſtituiſſet, minus cum univerſis fœminis negotii haberemus; nunc domi victa libertas noſtra impotentia muliebri, hic quoque in foro obteritur & calcatur, & quia ſingulas ſuſtinere non poſſumus, univerſas horremus.* Quam ampla dictio! *Majores noſtri nullam, ne privatam quidem rem, agere fœminas ſine auctore voluerunt: in manu eſſe parentum, fratrum, virorum: nos (ſi Diis placet) jam etiam Rempublicam capeſſere eas patimur.* Quam acutæ ſententiæ! *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt: id modo quæritur, ſi majori parti, & in ſumma prodeſt.* Item *Sic cupiditates prius natæ ſunt, quam leges, quæ iis modum facerent.* Et alibi: *Omnes viri uxoribus imperant, nos omnibus viris, nobis uxores.* Hucuſque Cato. At quanta in eloquentiæ regno nomina! *Tiberius Grachus, Cornelius Cethegus, Servius Sulpitius, Cotta, Quintus Scævola*, quos Cicero tanquam ſummos perfectosque Oratores celebrat, ita

ut

ut utrum alteri præferas, ignores; quibuscum in ſuis de Oratore libris, & in Bruto, licet jam vita functis familiariſſime loquitur, ac diſputat acute de arte Oratoria; e quorum monumentis atque præceptis omnem ſuccum hauſiſſe videtur, ac in ſanguinem ſuum convertiſſe, quamvis eos laudando ſimul etiam, quæ ipſis defuerint, palam faciat, nec obſcure ſe ipſum, cui omnia ineſſent, eisdem præferat. Ex hac tamen Oratorum velut turba ſeligere licebit duos: *M. Antonium*, & *M. Craſſum*, ſelectosque in conſpectum dare. De his graviſſimum eſt Ciceronis judicium, dum exiſtimare ſe inquit, hos Oratores fuiſſe maximos, & in his primum cum Græcorum gloria latine dicendi copiam æquatam: Antonio quidem omnia in mentem veniſſe, eaque ſuo quæque loco, ubi plurimum proficere & valere poſſent, ut ab Imperatore equites, pedites, levis armatura, ſic ab illo maxime opportunis orationis partibus collocata fuiſſe: robur autem ſermonis non tam in verbis eligendis, quam in ſententiarum ornamentis ipſum poſuiſſe: ſingularem demum curam adhibuiſſe moderandis geſtibus, conformandoque totius corporis habitum non tam illis, quæ dixiſſet, quam quæ ſenſiſſet.

Craſſi vero orationem quamvis gravitate plenam, urbanitate tamen leporeque multo conditam fuiſſe : neminemque inventum, qui in explicanda æquitate tam eſſet copioſus, quod vel maxime patuit in cauſa M. Curii, in qua oppugnanda defendendaque M. Craſſus & Q. Scævola ita fuerunt verſati, ut poſterior Jurisperitorum eloquentiſſimus, prior autem eloquentium Jurisperitiſſimus crederetur. Memorant, diſcipulos Craſſi etiam poſt mortem ipſius ad eum ſæpe locum confluxiſſe, quem noviſſime pedibus calcaverat, velut poſt fatum rurſus audituri ex ore Magiſtri, quæ nuper audierunt.

XXXI.

Jam vero Triumviros intueamur, aureo illo non ſolum reliquarum artium & ſcientiarum, ſed præcipue Rhetoricæ ſeculo natos. Primus in medium prodeat *Hortenſius*, in quo ingenii ac memoriæ felicitas cum aſſiduitate exercitationis velut æquo marte certavit. Etiamnum adoleſcens fori ſtrepitum ſecutus brevi tempore maximas quasque cauſas agendas ſuſcepit, tanta dictionis ubertate, nobilitateque actionis, ut ſi Valerio Maximo credimus (q) neſcires, utrum cupidius ad audien-

(q) *Lib.* 8. *Cap.* 10.

audiendum eum, an ad ſpectandum concurreretur. Auditus eſt autem ſpectatusque ſæpiſſime, quum nullum prætermiſerit diem, quo non vel in foro diceret, vel domi, quid dicturus eſſet, meditaretur: plerumque autem eodem die utrumque faciebat. Singulare illi fuit, quod quæ ſecum meditatus fuiſſet, ſine calami uſu ſcriptioneque fideliſſima memoria redderet, nihilque omitteret eorum, quæcunque adverſarii ad cauſam tuendam attulerant. Dixiſſe ſufficiat, Hortenſium Ciceroni non ſolum laude maxima, ſed etiam ejusdem imitatione dignum fuiſſe viſum. Fabius tamen (r) melius eum dixiſſe, quam poſtea ſcripſiſſe commemorat, *ita ut placeret eo dicente, quod legentes non inveniſſent.* Alterum merito locum occupat C. Julius Cæſar, qui feliciſſimo fœdere cum armorum gloria eloquentiæ ſplendorem junxit. Nihil ejus latinitate caſtius, nihil lucidius, nihil a fuco & verborum phaleris alienius. Fragmenta orationum, quas dixit in funere Juliæ, pro Bithynis, pro lege Plautia ad milites, pro Sextilio, de Conjuratis, in funere Corneliæ: harum inquam orationum fragmenta exſtant a Fulvio Urſino collecta, & tem-

(r) *Lib.* 11.

Romani maximus Auctor
Tullius eloquii, cujus ſub jure togaque
Pacificas ſævus tremuit Catilina ſecures;
Addidit invalidæ robur facundia cauſæ.

Certe in hoc uno Tullio reperire eſt collectas dotes omnes, tum quæ in aliis laudantur, tum quæ deſiderantur. Nec mirum: Vir ſummi ingenii & excellentis judicii clariſſimorum, quotquot erant ante ſe, Oratorum lucubrationes ſolerti ſtudio volvit ac revolvit: quid abundaret, quid deeſſet, cenſor rigidus intime perſpexit, uti e libris ejus Rhetoricis palam eſt; ac tum demum illam numeris omnibus abſolutam eloquentiæ Romanæ Græcæque effigiem in ſe ipſo expreſſit, de qua meminit Fabius, quod Cicero in ſe effinxerit vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis, in eoque Lyſiæ ſubtilitatem, acumen Hyperidis, Æſchinis ſonum, lenitatem Lælii, Africani gravitatem reperiri. Atque ita præcedentium temporum gloriam ſuperavit, & futurorum excitavit imitationem; tanto enim melior quisque nunc & præſtantior habetur orator, non quo ſuperet

ret aut æquet (quod ſperare fas non eſt) ſed quo proximius ad Ciceronem accedat. Verum ſublato e vivis Cicerone eloquentia quoque eidem tumulo illata fuiſſe videri potuit ; paucos certe numerare licet, qui veſtigia ſecuti ſunt (quamvis nec hi paſſibus æquis) *Quinctilianum Fabium* (de quo poſtea) *Lucium Annæum Senecam* , *Meſſalam Corvinum*, *Aſinium Gallum*, *Q. Haterium*, *Plinium Juniorem Trajani panegyrico celebrem*, *Numerianum Imperatorem*, cui poſitam fuiſſe ſtatuam in Bibliotheca Palatina cum inſcriptione : *Domino Numeriano*, *Oratori potentiſſimo*, refert Vopiſcus. Nec inclinantis tam brevi tempore facultatis oratoriæ cauſſam e longinquo accerſere opus eſt. Nam ubi eloquentia profana (de ſacra poſtmodum ſermo mihi erit) ad ſummum culmen evecta eſt, inſoleſcere cœpit, dominari in foro, impotenter agere, nec raro honeſtorum quoque civium jugulum petere : hinc eodem foro exulare juſſa (quod maxime factum circa tertium a Chriſto nato ſeculum) intra privatos parietes continere ſe debuit, præmiis, adclamationibus, ac plauſu concionis deſtituta, proinde etiam fortiſſimo ad quam optime dicendum incitamen-

mento : barbaricis poſtea incurſionibus etiam purioris linguæ uſum perdidit, donec cum cæteris bonis artibus abſterſa fuligine tandem revixit priore admodum ævo. Inter alios eminuere *Franciſcus Petrarcha*, qui vix non primus literarum inſtaurationi manus admovit ; *Æneas Sylvius*, poſtea Pius II. Pontifex, Oratorum ævi ſui, quotquot in Europa viverent, omnium eloquentiſſimus : *Muretus*, *Perpinianus*, *Bencius*, *Poſſevinus*, *Franciſcus de Mendoza*, *Cauſinus*, & noviſſime *Du Cygnius*, *le Jay*, *Juvencjus*, *Jacobus Facciolatus*, & *Joſephus Reinaldus* : eo nimirum tempore, quo Galli Italique veram veteris eloquentiæ ſpeciem revocaſſe videntur. E ſola Societate, quorum diverſi generis orationes typis vulgatæ fuerunt, recenſet Sotvellus ultra ducentos. (u) Horum aliorumque opera & ſtudio novas eloquentia vires ſumſit, quam modo erectis per celebriores Europæ Academias Facultatis hujus cathedris, publicisque doctorum hominum cœtibus inſtitutis ingentes ſane progreſſus facere conſpicimus.

§. II.

(u) *Biblioth. Script. S. J.*

§. II.

Clari in docendo Oratores.

XXXII.

Diſtinguere ſolent rerum periti Rhetoricam *docentem* ab *utente*. Priorem vocant eam, quæ bene apteque dicendi præcepta, exempla & methodum tradit, probe conformatam normæ, quam præſtantiſſimi quique Oratores ſibi ipſis, quum dicerent, præſcripſere. Poſteriorem vero, quæ quod longa meditatione, lectioneque, ac intima legum & regularum perceptione conſecuta eſt, in opus deducit, magnaque cum facundia & ubertate dictionis, acumine ingenii, dignitate oris, majeſtateque ſermonis in eloquentiæ theatro ſeu ad delectandum, ſeu ad movendum, ſeu ad utrumque comparet. Non raro autem contingit, ut optimi quique Rhetoricæ artis Magiſtri naturæ ſubſidiis, quemadmodum voce, corporis habitu, & quodam naturalis eloquentiæ ſucco deſtituti, vel omnino abſtinere cogantur a concionibus, vel non ea in illis laude celebritateque verſentur, qua illi, quos in ſcholis erudierunt, quosque ars & natura ſimul Oratores ſummos effinxerunt. Quapropter

claros

claros in docendo Viros ſeparate commendandos eſſe duxi, quamvis inter hos quoque ſint, qui in utroque genere tam dicendi, quam docendi Heroes fuere. Ubi primum re ipſa patuit, quam vim haberet, quos quantosque animorum motus excitaret oratio numeris ſuis ac dotibus inſtructa, ſubito, nec pauci prodierunt Magiſtri, qui docerent, vel honoribus decretis, vel quæſtu copioſiſſimo, qui nunquam deerat, ad id muneris invitati. Fuerunt autem reliquis celebriores *Taſymachus Chalcedonius*, *Protagoras Abderites*, *Prodicus Chius*, *Hippias Elæus*. Hi profitebantur non ſine omnis arrogantiæ nota, docere ſe, qua ratione cauſa inferior, ut ajebant, fieri ſuperior poſſet; credo ut eloquentiæ dominatum nullis circumſcriptum limitibus ſignificarent. Omnibus his tamen major erat *Leontinus Gorgias*, & primus, qui docebat libere dicere, id eſt, de re quacunque copioſe, ornateque diſſerere. Huic tantum Græcia honorem habuit, quantum nec Imperatoribus ſuis, dum auream illi effigiem Delphis ſtatuerunt. Gorgiam hunc, quem audiverat, ſecutus eſt *Iſocrates*, qui primum ætatis florem Deæ eloquentiæ conſecravit, & uti puer pueros iisdem ſtudiis deditos ſuperaverat,

ita creſcentibus annis etiam Viros in arte dicendi excelluit teſte Socrate. (x) Neque hac gloria contentus, divino quodam impetu ad majora feſtinavit. Initio quidem ad ſerias in foro pugnas prorupit; ſed vox gracilis, mollisque frons hiſce contentionibus parum apta prohibuerunt eum a forenſi ſtrepitu, & intra lares docendæ artis Rhetoricæ conſilium dederunt, tam fauſto ſucceſſu, ut ſchola illius a Græcis eloquentiæ officina, a Tullio Equus Trojanus fuerit adpellata. Profecto inventionem in Iſocrate mirabilem Dionyſius Halicarnaſſeus celebrat, illuſtrem argumentorum ſplendorem, diſpoſitionem prudentem, epicherematum elaboratam collocationem, magnam ubique ſtyli perſpicuitatem, atque in exprimendis moribus induſtriam, dictionem puram, facilem, uſitatam, verborum ſummam, quæ poteſt eſſe, concinnitatem. Hæc de Iſocrate. Nunc ad præcipuos artis Rhetoricæ Atlantes oculos animumque convertamus: Ariſtotelem intelligo, Ciceronem, & Fabium Quinctilianum, qui tres ita eloquentiæ fontes exhauſerunt, ut poſteri nihil fluenti ex iis, niſi per hos quaſi canales in prata ſua derivare valeant. Atque horum doctrinæ pro-

(x) *In Phædro Platonis.*

proponendæ aliquanto ſtudioſius immorari operæ pretium erit. *Ariſtoteles*, vaſtiſſimum illud & acutiſſimum ingenium, quod nunquam in ſuperficie hærere novit, ſed ad uſque fundum ipſum ſemper penetrare conſuevit, quemadmodum in Philoſophicis, Ethicisque, ita & in Rhetoricis certo rectoque tramite, ſeu ut loquimur, methodo procedit. In primo artis hujus libro (tres enim poſteritati reliquit) in primo inquam, explicat naturam & indolem Rhetoricæ, materiam qua ſe occupat, finem, quem ſibi proponit, mediaque quibus ad finem hunc conſequendum utitur. Tum ad tria notiſſima genera, deliberativum, demonſtrativum & judiciale deſcendit; fuſeque diſputat de utili & honeſto: de laude ac vituperio: de bonis fortunæ ac vitæ, circa quæ tria hæc genera potiſſimum verſantur. Secundus liber totus eſt in cognitione intima morum affectionumque, quæ ſumme neceſſaria ad excitandos motus, viaque recta eſt, & ſecuriſſima, per quam Oratoris eloquentia in humanum cor penetret, idque in omnem quam vult partem vel invitum pertrahat. Explicari vix poteſt verbis, quo Ariſtoteles ingenio, quo artificio, quave pene dixerim divina virtute totum

hoc maximi momenti negotium tractet, ac ſemitas occultiſſimas id perficiendi monſtret. In tertio libro naturam ſermonis inveſtigat, ejusque dotes exponit, dictionem ſcilicet ac elocutionem: præterea diverſas ſpecies partesque orationis, locos argumentorum, probationum vim, figurarum blanditias, periodorum circuitus, quæ omnia fortiſſimæ machinæ ſunt ad animos concionis expugnandos.

XXXIII.

Ab Ariſtotele ad *Ciceronem* tranſeo, non minus doctrina, quam oris facundia potentiſſimum, cuique neſcio an plus debeat forum, quam ſchola. Certe eadem vis ingenii tam quum diceret, quam quum doceret, ubique eluxit. Varia oratoriæ artis monumenta orbi literato reliquit: Rhetorices quidem libros duos de inventione, Topica, Partitiones oratorias, Brutum ſive de claris oratoribus, librum de optimo dicendi genere, tres libros de oratore; nam quatuor ad C. Herennium Quinto Cornificio non pauci tribuunt, tanquam indignos gravitate Ciceronis, licet docte latineque ſcripti ſint. Inter hos tamen omnes libri tres de oratore ipſi Tullio magis proban-

bantur, quos juvenis etiamnum compoſuit, uſui privato futuros, at hortante ac vix non jubente Fratre, ubi provectioris jam ætatis erat, magno ſtudio perpolitos ac perfectos. In horum primo genuinam magni Oratoris ideam proponit, totus in adparatu inſtruendo ad eloquentiæ ædificium, quod ingens molitur. Hinc multis evincere conatur, perfecti oratoris eſſe, ut omnia ſciat, & in arte ſcientiaque nulla ſit peregrinus, contra quam Frater ejus & Scævola ſentiunt, comprobante tamen Craſſo, quos alternis vicibus loquentes ac diſputantes jucunda quadam familiaritate inducit. Tum Ariſtotelis exemplo in tria genera opus oratorium diſtribuit, in Judiciale, in quo æquitatis, in Deliberativum, in quo utilitatis, & in Demonſtrativum, in quo gloriæ ac dignitatis rationem habendam eſſe docet. Inde ad quinque partes orationis tranſit, totamque Oeconomiam ante oculos ponit: præſcribit regulas, quæ proprietatem, claritatem, ornamentum & decorem ac pronunciationem ſpectant: Commendat meditationem animi, exercitationemque ſtyli; nam in quantum, ait, res meditatæ ſuperant non meditatas, in tantum res ſcriptæ ſuperant illas, quæ non ſunt niſi me-

ſi meditatæ. Demum ſcientias enumerat proprias Oratori, ſine quibus nunquam prodibit ſapiens oratio. Hæc Craſſus Cottæ ac Sulpitio ad eloquentiæ culmen feſtinantibus adjumenta ſuppeditat. In ſecundo libro diſſerendi provinciam imponit Antonio, qui admirabili facundia indoles, mores & inclinationes hominum detegit, nihilque prætermittit, quo in intimos receſſus penetret, viamque pandat ciendis motibus vehementiſſimis. Brevi poſt ad diviſionem Rhetoricæ pergit, & quinque illius partes copioſe exponit, minime probans ingentem illam præceptorum copiam, qua ſilveſcunt Rhetorum ſcholæ, ac infinitas legum quæſtiones, quibus forum implent Cauſidici: porro methodum oſtendit ſtabiliendi diſſolvendique argumenta, reducitque ad locos communes: explicat vim ſermonis, quem patheticum dicimus, docetque uſum affectuum ſecundum præcepta Ariſtotelis: Præterea Cæſarem adigit, quem in illo conſeſſu præſentem fingit, ut dotes ſtyli nitidi, feſtivi, ac delicati, in quo excelluit, palam faciat. Demum redit ad partes orationis: *Exordium*, *Narrationem*, *Confirmationem*, & *Perorationem*, ſingularumque virtutes declarat. In libro tertio ſecreta pandit artis

tis totius Oratoriæ, quam in duobus collocat, ſcilicet in loquendi methodo *ornata* ad conciliandam ſermoni dignitatem, & in *accommodata* ad propoſitam quæſtionem. Docet enim, oportere, ut duo genera ornamentorum habeat oratio, unum quod ſe extendat ſuper totum ſermonis corpus, aptumque ſit, ut publicam admirationem poſt ſe trahat, reddatque eloquentiam nobilem ac majeſtate plenam; alterum, quod in verborum ſententiarumque figuris elaboret, nonniſi loco ſuo ponendis; unde naſcitur amplificatio rerum, quas vel extollit, vel minuit, quæque ſola ſi rite fiat, pretium dat eloquentiæ. Denique finit atque concludit per actionem, quam ceu principem Rhetoricæ partem & animam orationis, ſupremumque apicem hujus artis diſertiſſime commendat. Fateri nihilominus neceſſe eſt, plus ordinis ac methodi in Ariſtotele, at in Cicerone plus elegantiæ, eruditionis ac doctrinæ reperiri: artificium illius apertum, hujus vero admodum eſt reconditum, nec niſi longa meditatione eruendum: eo tamen plus fructus afferet, quo majore ſtudio fuerit inveſtigatum. Nec dubitandum eſt, quin Tullius quædam ex Ariſtotelis pharetra depromſerit, ſed pleraque

addiderit, utpote in cauſis forenſibus præ omnibus magis verſatus, uſuque ipſo multa expertus, quæ ille in otio literario haud potuit deprehendere.

XXXIV.

Sed locum ſibi nunc poſcit *M. Fabius Quinctilianus*, homo ad informandos Rhetoricæ Candidatos natus, factusque, qui ſub Domitiano ex Hiſpania evocatus, ad docendam Romæ eloquentiam publica mercede conductus fuit. Hic eſt, qui neque verborum novitate atque inſolentia ſermonis exultat, neque ſe ad plebejum ſermonem exilitate demittit, verum ubique auream mediocritatem tenet: in gravitate ornatus, in ornatu gravis. Aliam autem ab Ariſtotele ac Cicerone in docendo viam ingreditur. Nam ab ipſis veluti cunis incipit, & nutricis inſtar lac eloquentiæ inſtillat teneris animis, ducitque pede preſſo per omnes ſcientiarum, quos ad hunc finem neceſſarios credit, gradus juvenem Oratorem ad culmen ſupremum. Quare in libro primo illius lateri jungit præceptorem domeſticum, qui linguam formet per prima pronunciationis & grammaticæ elementa. In ſecundo ad ſcholam publicam, in qua Rhetoricæ

ricæ præceptis imbuatur, eundem mittit: ipſe interea naturam & partes hujus artis exponit. In tertio & tribus ſequentibus ea, quæ ad elocutionem ſpectant, pluribus explicat. In ſeptimo, & quatuor reliquis ſequentibus explanat, quæ pertinent ad diſpoſitionem & œconomiam orationis. In duodecimo tandem ſuppeditat cuncta, quæ ad perſonam oratoris, eumque in dicendo firmum, ac expeditum faciendum conducere videntur. En! ſynopſin Ariſtotelicæ, Ciceronianæ ac Fabianæ doctrinæ, quam pluribus illuſtrat Rapinus noſter in egregiis ſuper eloquentiam animadverſionibus ſuis. Ego, ſi quid addere his liceat, ita ſentio: in tres quaſi ætates artem Rhetoricæ ex æquo & bono, ut Jurisconſulti loquuntur, diſtribui poſſe, ætatemque juvenilem Quinctiliano convenire, quum a primis fundamentis initium ducat: Ariſtoteli mediam ætatem, quoniam recta quidem & plana, ſed ſubtili methodo ubique procedit: Ciceroni vero virilem, utpote qui ſolidiſſima & ſublimi doctrina utitur ad Oratorem inſtituendum, numeris omnibus perfectum. Jam vero minime ſilentio prætereundi videntur, quos poſtrema ſecula progenuere hujus artis ipſius Magiſtros, qui licet

præcedentium veſtigia preſſerint, ætateque ſint inferiores, in aliquibus tamen ingenio induſtriaque ſua cum priſcis illis heroibus de palma contendere merito poſſunt. Ut taceam *Æneam Sylvium*, ſupra laudatum, qui præcepta Rhetorica in lucem edidit, *Joannem Voellum* S. J. Burgundionem, qui eloquentiam plurimos annos profeſſus Lugduni & Dolæ Pro-Rector erat, & præter libros quatuor de Oratore artificium texendæ ſeu componendæ cujuscunque orationis facillima methodo conſcripſit; *Franciſcum Benzium* Italum, S. J. Mureti auditorem, quem Card. Baronius Virum inſigniter eruditum, & Thomas Bozius Vatibus antiquis æquiparandum vocat, quique in Tractatione poſtrema de ſtylo & ſcriptione oratoria præclare differuit: *Jacobum Pontanum* S. J. Bohemum tot librorum parentem, qui egregios de hac re dialogos vulgavit: *Antonium Bonnucium*, *Du Cygnium*, *le Jay S. J. C. Rollinum*, antiquum Rectorem Academiæ Pariſienſis: *Franciſcum Neumayerum* S. J. qui omnes noviſſimis temporibus ſuccincta, eleganti, ac exemplorum divite methodo Rhetoricam artem explanarunt; ut inquam hos aliosque taceam, præcipua laude

de dignus eſt *Cyprianus Soarius* S. J. Hiſpanus, Vir multæ ac vaſtæ eruditionis, qui quidquid opum Rhetoricarum in Ariſtotele, Cicerone ac Quinctiliano reperire potuit, in unum quaſi gazophylacium collegit, nempe in libros tres breviſſimos de arte dicendi, quos ſæpiſſime recuſos civitate donarunt in præſtantiſſimis Europæ Athenæis, quotquot fere in cathedris eloquentiæ doctrinam expoſuere. Nemo tamen felicius auguſtiusque in hac palæſtra deſudavit ſummo ævi vicinioris Oratore Nicolao Cauſſino S. J. Gallo, qui Pariſiis ſacram profanamque eloquentiam cum ingenti fama & nominis celebritate publice profeſſus eſt. E reliquis, quæ ſcripſit operibus Vir in omni literarum genere verſatiſſimus (ſcripſit autem quamplurima) præcipua heic memoria dignum eſt illud, in quo eloquentiam ſacram & profanam ſedecim libris complexus eſt. In eo vaſtum hominis ingenium, par eruditio, facundia vere Tulliana, ſtylus ex omni parte Oratorius, gravitate amœnitateque plenus, cogitandi ſenſaque ſua explicandi ratio nobilis atque ſublimis ubique ſe produnt, & quidquid eloquentiæ ſeu in Græcia ſeu in Latio reconditum erat,

erat, in hoc opere in lucem protraxit, aurei ſeculi ſcriptoribus jure comparandus.

CAPUT V.

ELOQUENTIA NATURALIS ET CIVILIS.

§. I.

Naturalis.

XXXV.

Naturalem dum appello eloquentiam, non eam intelligo, quæ ſolam nobis exhibet effigiem quotidiani ſermonis, quo ad familiares, domeſticos, artifices, opifices, aut famulos utimur, contenti promere animi noſtri ſenſa, ſuadendo, hortando, objurgando, laudando, &c. credentesque, quidquid ornati ac politi fuerit adjectum, ambitioſam quandam in loquendo jactantiam vel affectationem ſapere, nec tam veritatis, quam ipſorum gratia verborum proferri, quibus a natura id ſolum officii tributum eſt, ut ſenſibus ſerviant.

Quid

Quid enim ? inquiunt nonnulli apud Fabium, quid attinet magnis uti circuitionibus ac metaphoris, hoc eſt, pluribus & alienis verbis, quum nulla res ſit, cui non propria ſint adſignata nomina ? neque priſcos illos optimosque mundi cives ac Reipublicæ conditores naturæ in dicendo limites fuiſſe ſupergreſſos, utpote qui procœmiis præparare, docere expoſitione, argumentis probare, affectibus commovere neſcierunt, Scapham ſcapham dicentes. Qui ita ſentiunt, & eloquentiam, uti ante omnem cultum fuit, ſive ut verius dicam, loquentiam deſiderant, ii totam plane artem orandi ſubvertunt. Itaque eam intelligo, quæ non tam præceptis, certisque legibus artis, ſed naturæ in aliquos liberalioris vi virtuteque formatur: ſiquidem nemo facile inficiari poterit, eſſe quosdam ita a natura comparatos, ut perſpicacius ingenium, celeriores animi motus, ſermonis gratiam majorem, memoriam magis firmam, promptiorem ad ſenſa ſua manifeſtanda linguam, laterum compagem, conformationemque quandam & figuram totius oris & corporis meliorem, verbo, præſtantiores quam alii ad dicendum dotes quaſi ex utero matris ſecum adferant, quibus ſi longior uſus exercitatio-

que

que accedat, potentior erit ejusmodi ſuada, quam quæ memoratis naturæ præſidiis deſtituta ex ſola arte ac regularum obſervatione proficiſcitur; quod ipſum ſenſiſſe Cicero mihi videtur, dum ſcripſit: (y) *Sic ſentio, naturam primum ad dicendum vim adferre maximam*: & Fabius (z) *Nihil principia atque artes valere, niſi adjuvante natura.* Profecto in Republica tum Athenienſium, tum Romanorum, priusquam eloquentiæ ars inventa, certisque concluſa præceptis fuit, clariſſimi quique Viri non niſi quam matura magiſtra didicerunt, facundia regebant liberum populum, eique quæ optarunt, perſuadebant. Multi enim ante Periclem & Thucydidem fuerunt eloquentes, nemo tamen Orator vere dici potuit. Ita M. Valerius Dictator paucis poſt Reges exactos annis, ubi plebs tumultuari, & occupato per vim monte ſacro omnia ſusdeque vertere, ſeditionem non armata manu, ſed ſermonis energia compeſcuit, adpellatus propterea *Maximus.* Ita L. Valerius Potitus Decemvirali invidia incitatam in Patres plebem concionibus ſuis mitigavit. Ita Appius Claudius Senatum jam nutantem pronumque ad pacem pernicioſam cum Pyrrho

(y) *Lib.* I. *de Orat.* (z) *Lib.* I. *Cap.* I.

Pyrrho ineundam ſermone ſuo ad ſaniora conſilia pertraxit. Nemo iſtorum eo tempore Orator habitus eſt, nec ullum eloquentiæ præmium fuiſſe conſtitutum Annales produnt. Quis neſcit, quanta fuerit apud Romanos Tribunorum plebis potentia in utramque partem, ſeu in Reipublicæ commodum, ſeu detrimentum? (non pauci enim erant homines admodum ſeditioſi) Hi popularem illam, qua plurimum valebant, gratiam naturali quadam vi dicendi compararunt ſibi, etiam plauſu excepti, quum noxia ſuaderent. Longum foret quemque ſuo nomine compellare: ſufficiat Tiberius Gracchus, qui primus tulit Agrariam legem, ſeu de dividundis agris, qua Senatui nonniſi certus agri modus concedendus, cætera in plebem dividenda erant. Hic nil proficientibus contra ditioribus ac potentioribus, quamvis acerrime obſiſterent, præclaro juſtoque argumento decertans, facundia ſua obices omnes perrupit, legemque inter mille inſidias ſartam tectamque ſervavit. Elegans eſt naturalis eloquentiæ monumentum, quo plebejorum ac pauperum cauſam coram circumfuſa concione in Roſtris conſiſtens egit: *Feras etiam*, inquiebat, *Italiam incolentes luſtra habere, & cubilia ſingulas*,

gulas, ſtabulaque. Illis vero, qui arma ferrent pro Italia, & ſanguinem profunderent, nihil præter aera & lucem concedi, ſed ſine tectis ſedibusque cum liberis & conjugibus vagari. Ludibrio haberi ab Imperatoribus milites, quum eos adhortantur in acie, ut pro aris & focis dimicent. Nemini enim in tanto numero civium vel aram paratam eſſe, vel domum avitam: verum pro alienis deliciis opulentiaque belligerare & mori. Nominari orbis terræ dominos, qui ne glebam quidem, ubi pedem ponant in ſuo, habeant. Hæc verba naturæ felicis impetu effuſa potentiorum quorumque adverſariorum animos fregere, populi vero ſtudia concitarunt plus, quam quævis oratio ad omnes Rhetoricæ regulas elaborata. Neque tamen propterea exiſtimandum eſt, naturæ hoc donum impatiens eſſe legum & artis, niſi imprudentiæ velimus arguere viros prudentiſſimos, Ariſtotelem, Ciceronem, & Fabium, qui tanta contentione præcepta bene dicendi collegerunt, quibus tota eloquentiæ ratio magno ambitu contineretur.

§. II.

§. II.

Eloquentia Civilis.

XXXVI.

Poſtquam eloquentia naturalis, quæ paucorum fuit, vires ſuas palam prodidit, ingentesque motus in populo excitavit, non defuerunt, qui primum quidem veluti attoniti ſtabant circumſpicientes, undenam admirabilis hæc vis & virtus ſermonis profluueret, quæ magnetis inſtar etiam ferrea plebis pectora ad ſe pertraheret: mox taciti obſervabant, quid in toto ejusmodi ſermone placeret; quid demulceret vel offenderet aures, quid aptum ac potens ad perſuadendum eſſet, nec ne; quid animos vehementer commoveret, aut quietos ac velut in otio ſuo torpentes relinqueret, quid in pronunciatione actioneque politum, maturum, concinnum, forte: contra quid crudum, hiſpidum, leve ac inconditum foret. Notatio enim naturæ atque animadverſio peperit artem. Demum ex his obſervationibus bene longo tempore, ſtudioque maximo factis ad canones ac leges, ad quas omnis ratio ſermonis actionisque componeretur, condendas deſcen-

derunt; ſermonem vero ipſum in diverſa genera, partesque certas diviſerunt adjectis præceptis cuique illarum convenientibus; & quoniam Oratoris officium eſt, docere, delectare ac movere, argumentorum ſedes & locos, argumentis autem modum & ordinem conſtituere, ac verborum, ſententiarum, numeri rationem inire cœperunt: denique affectuum quoque ciendorum fontes & methodum inveſtigarunt. Ita quaſi per magnos circuitus prodiit ars Rhetorica, cujus primigenia eſt eloquentia civilis, quam alii etiam profanam, alii forenſem dicunt. Ita naturæ ars amiciſſime ſeſe conjunxit: illa ut opus inchoaret, hæc ut perficeret. Unde eleganter Cicero: (a) „ ut multos homines excellenti in„ genio & eloquentia fuiſſe & ſine do„ ctrina, naturæ ipſius habitu, per ſe „ ipſos copioſos & exornatos exſtitiſſe „ fateamur; adjungamus etiam, ſæpius „ ad orationis laudem, naturam ſine do„ ctrina, quam ſine natura valuiſſe do„ ctrinam: ſed quum ad naturam exi„ miam atque illuſtrem acceſſerit ratio „ quædam conformatioque doctrinæ, tum „ illud neſcio quid præclarum ac ſingu„ lare ſolere exiſtere, contendamus. „

Hanc

(a) *Pro Archia.*

Hanc autem civilem eloquentiam ſeu in vita civili dicendi rationem quanti fecerint Veteres illi, vix verbis explicari ſatis poteſt. Certe Græci Romanique, ut quisque aptam a natura dicendi indolem nactus erat, totam ferme vitam ad uſque noctis vigilias, maciem palloremque huic ſtudio conſecrarunt; peregrinabantur ad audiendos optimos hujus artis Magiſtros: nihil intentatum reliquerant, donec in ſe tanquam in imagine virtutes eorum, a quibus inſtituti fuerunt, exprimerent; hac in re omne gaudium, ſpem, fortunam & ambitionem ſuam collocabant: neque id actitarunt mediocris ſolum conditionis homines, qui a literarum cultu alimenta quærunt, ſed Viri in Republica ſummi ac principes, probe gnari, hanc unam artem ad regendos inflectendosque ſubditorum animos præſidium eſſe fortiſſimum. Duo autem præcipue fuerunt dicendi genera, in quibus impigro labore ſeſe exercebant, quorum alterum in ſuaſionibus & diſſuaſionibus, alterum in controverſiis atque in judiciis ſeſe occupat. In his enim quaſi gloriæ theatris hæc facultas ſemper floruit & dominata eſt. Invitabat ipſos rerum tractandarum dignitas, deliberationum magnitudo, civium de fortuna vel capite

periclitantium, aut ipſius patriæ ac libertatis oppreſſæ ſollicitatio, ſanctitas atque majeſtas loci, in quo erant dicturi, concionis ad quam dicendum, plauſus indeque reſultans gloria, præmia publica, ſtatuæ quæ decernebantur eximiis Oratoribus, demum nominis immortalitas, qua potentius honeſtis animis nullum eſſe ſolet incitamentum.

XXXVII.

Verum ubi ad ſummum evecta eſt culmen hæc forenſis eloquentia, ſubito mole ſua opprimi viſa eſt; quod fatum Ariſtoteles, ut erat in omnibus perſpicaciſſimus, facile prævidit, dum graviſſime in illos invehitur, qui jam ævo ſuo cætera quidem eloquio præſtantes arte hac ad Judicum integritatem æquitatemque pervertendam utebantur, per varias figurarum & affectuum machinas concitando populum in cauſis etiam iniquis, ut judices vel torrente ſermonis abrepti, potentique ſuada victi ſuccumberent, vel timore plebis perculſi aliter judicarent, quam ſentirent, ferrentque non raro ſententiam ipſa cauſa iniquiorem? Res hæc, quæ in Græcia curſum eloquentiæ civilis ſtitit, etiam in Latio non multo poſt Ciceronem (qui nec ipſe ab hac labe

labe immunis erat) grandem arti oratoriæ invidiam conflavit apud Magiſtratus ſupremos & Principes, cernentes in judiciis penes eos victoriam ſtare, non qui cauſam haberent meliorem, ſed qui patronum pro ſe nacti eſſent eloquentiorem: præcipue vero, quod in deliberationibus publicis id ſibi ſequendum ſtatuendumque viderent, quod populus ab Oratore commotus cenſuiſſet, vel potius imperaſſet. Quapropter quæ ad regimen, bella, pacisve fœdera cæteraque Reipublicæ negotia pertinebant, a foro in Principum conclavia interiora; quæ vero ad judicia, in Jurisperitorum tribunalia ſacratiora fuerunt translata, ad quæ aditus Rhetoricæ non jam patet, ſed ubi cuncta ſermone plano breviſſimoque conficiuntur. Unde ſubtracto alimento præmiorum ac gloriæ eloquentia civilis, velut ignis in lampade deficiente oleo, ſenſim extingui cœpit, & ad declamationes panegyricosque convertere ſe coacta eſt. Neque hac ætate noſtra in foro ex illa veteri facundia reliquum quid eſſe conſpicimus, quam cadaver, & elogium magnis characteribus ſcriptum: *Fuit.* Ne tamen in exilium pulſa omnino videretur, locum aliquem invenit tum in privatis ludis ad cauſas

fictas pro veris agendas, tum in ſapientum conſeſſibus atque Academiis, ubi panegyres quandoque dicuntur Magnis Principibus, aut Viris de Republica, præſertim literaria, optime meritis, ſeu vivis ſeu vita functis: vel ſi publicæ lætitiæ dies feſti aguntur ob illuſtres Natales & victorias; vel quando literatorum aliqui, quæ præſtantis doctrinæ merces eſſe ſolet, laurea coronantur: vel denique ſi, ut fieri adſolet, in hominum doctorum corona quæſtio quædam erudita ventilatur. Nihilominus fateri oportet, neutiquam omittendam eſſe veteris eloquentiæ ſeu notitiam, ſeu doctrinam, utpote a qua virtus & vigor omnis emanat in recentiorem, qua uti ſolemus, ſive profanam ſive ſacram. De prioris artificio dictum jam ſatis eſt: nunc de poſteriore ſupereſt, ut enucleatius diſſeram.

CA-

CAPUT VI.

ELOQUENTIA SACRA.

§. I.

Encomium.

XXXVIII.

Poſtquam e Curia & foro exulare cœpit vetus illa, & viva facundia, ut dixi, fere in ſola templa, nec ſine fœnore, recepta eſt, ubi non quidem amplius arguit repetundarum, peculatus, nec pro capite aut fortunis dimicat, ſed negotia longe graviſſima ſanctiſſimaque tractanda ſibi depoſcit. Quid enim? immortalis animæ cauſam agit, pro æternitatis beatæ dono perorat; quæ civibus religio, qui mores, quæ publica honeſtas ſervanda ſit, copioſiſſime docet; ne plebs, ne Magiſtratus ab officio diſcedant, ſuadere tota vi contendit: in vitia Philippicas expromit, virtuti panegyres adornat. Fac ſilere ſacros Oratores,

quæ tum honeſti cura, quæ ignorantia religionis, quis virtutis contemptus: & quæ poſtea barbaries? ſed quod omnium eſt ſupremum, adeo vehementes animorum motus excitare novit ſacra hæc eloquentia, ut non rato tota concio numeroſiſſima tundat pectora, in lacrymas ſolvatur, & in ejulatus erumpat. Merito igitur ſacræ Cathedræ profanis roſtris ſunt anteferendæ, eoque amplius, quo glorioſius eſt, animas quam civium fortunas ſervare, easque in libertatem filiorum Dei aſſerere. Quid? quod nimium humana Veterum eloquentia multis erroribus obnoxia fuerit, in quos delapſa eſt vitio hominum divinas leges ignorantium. Nam mentiendi licentiam, divinis præceptis interdictam Oratori Quinctilianus & antiqui Rhetores concedunt. (b) Sæpe in eorum ſermone dominatur procacitas & vitium illud terrimum lacerandi alios probris, contumeliis, maledictis: cui utinam non Demoſthenes & Cicero tantopere indulſiſſent. Quoties illorum orationes arrogantia & inanis laudis appetentia inficit? quoties tenebras auditoribus adfundit, ne verum perſpiciant; quoties ſuffragium atque ſententiam dicendo corrumpit, quod

(b) *Lib. 2. Cap. 17. & Lib. 10. Cap. 1.*

quod a Græcis & Romanis Oratoribus eſt factitatum? Vitia hæc procul abſunt a ſacra facundia, quæ quidquid etiam ornate ac ſubtiliter, politeque dicit, ex Evangelii lege nonniſi vere, juſte, ac ſine ſuco fumoque gloriæ humanæ dicendum ſibi eſſe novit. Præter hæc alia ſunt, quæ ſacram eloquentiam in ſublimiori gradu ſupra humanam conſtituunt: nimirum materiæ dignitas atque utilitas, dum nonniſi de ſummis agit myſteriis Chriſtianæ religionis, de virtutibus, de ſubſidiis ad ſalutem æternam neceſſariis, de ſanctorum hominum rebus geſtis, Martyrum triumphis, Cœlitumque gloria: tum inſtrumentorum ad affectus motusque ciendos vis & potentia, quæ quandoque improbos orci metu concutit, & coercet; probos propoſitis cœleſtibus præmiis ad virtutem exſtimulat, & accendit: lapſos in ſpem erigit, obſtinatos in ſcelere juſtitiæ divinæ terroribus implet, ſaxea etiam corda emollit, & in lacrymas ſolvit: Non minus eloquii majeſtas, quum commercium illud, quod cum Spiritu S. intercedit, & verba & ſententias, ac figuras ſanctitate quadam adflet: Demum Oratoris ſacri auctoritas, qui Dei ad homines loquentis velut legatione fungitur, ut inquit Apoſto-

lus, (c) divinique oris ſermonem in ore ſuo circumfert, *tanquam conſtitutus ſuper gentes & ſuper regna ut evellat & deſtruat, & diſperdat, & diſſipet, & ædificet, & plantet.* (d)

§. II.

Characteres.

XXXIX.

Non ſolum autem profanam eloquentiam ſacra longe ſuperat, verum etiam peculiares aliquas, ſibique proprias dotes habet. Primum quidem, quamvis non aſpernetur locos Rhetoricos, eos tamen ſublimioribus ſervire cogit, quos Theologicos appellamus, e quibus argumenta ſua certius atque ſolidius depromit, cujusmodi ſunt S. Scriptura, Traditiones, quas vocant, Eccleſiæ auctoritas, Conciliorum decreta, SS. PP. effata, Juris ſacri Canones, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ documenta, quibus omnibus fidem abnegare non eſt niſi hominis aut nullius fidei, aut ſcelerati, aut inſani, vel prorſus temerarii. Deinde characteres ſibi aſſumit ſingulares, uti ſunt *Veritas:* non enim veriſimilia, ut in aliis plerisque cauſis

(c) *Cor.* 5. (d) *Jerem. Cap.* 1.

cauſis profanis contingit, ſed veritatem ipſam præ oculis habet. Nam ut pulchre Auguſtinus (e) ait: Oratori ſacro id eſſe agendum: *ut veritas pateat, ut veritas placeat, ut veritas moveat. Claritas*, quum ad Concionem dicendum ſit, in qua tum rudes ac pauperes, tum docti & honorati, priores plus præ poſterioribus numerum faciunt. Ab omnibus intelligi debet Eccleſiaſtes, ſi Apoſtoli veſtigia ſequi velit, dicentis: *Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus debitor ſum.* (f) quæ ratio fuit, ut Auguſtinus, poſtquam initio contra Manichæos ſtylum ſublimem ornatumque adhibuiſſet, „ Me „ benevolentiſſime monuerunt, inquit (g) „ ut communem loquendi conſuetudinem „ non deſererem, ſi errores illos tam per„ nicioſos ab animis etiam imperitorum „ expellere cogitarem. Hunc enim ſer„ monem uſitatum & ſimplicem etiam „ docti intelligunt, illum autem indocti „ non intelligunt. „ Alibi vero aperte id profitetur: *Melius eſt reprehendant nos Grammatici, quam non intelligant populi.* (h) *Ornatus:* ſimplicitas enim ac veritas, quemadmodum pulchritudo formæ,

(e) *De Doct. Chriſt. Lib.* 4. (f) *Rom.* 14.
(g) *Lib.* 1. *de Gent. contra Manich.*
(h) *In Pſalm.* 138.

mæ, non reſpuit omnem ornatum, quamvis non admittat fucos, pigmenta, & ceruſſam: non raro enim, iſtis præſertim temporibus, Auditores etiam inferioris ſubſellii ſunt ita comparati, ut nuda veritas non placeat, niſi decenter veſtita comtaque ſit, nec dapes in divini verbi menſa adpoſitæ ſapiant absque condimento, uti denuo monet Auguſtinus: (i) „ Sed quoniam inter ſe habent non„ nullam ſimilitudinem veſcentes & di„ ſcentes, propter faſtidia plurimorum, „ etiam ipſa, ſine quibus vivi non po„ teſt, alimenta condienda ſunt. „ Dicat igitur Chriſtianus Orator ornate ſuo loco, ſuoque tempore, ita tamen, ut verbis non ſerviat, ſed ea ſibi ſacræque doctrinæ ſervire cogat. Ita egerunt viri maximi ſanctiſſimique Cyprianus, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Ambroſius aliique. Licet enim eloquentiæ multum tribuerent, ſedulo tamen ab adfectata ſibi caverunt, ne quid derogarent verbi divini majeſtati, totusque labor in oratoris exiſtimationem deſineret. *Non in ſapientia verbi, ne evacuetur crux Chriſti.* (k) Quare id genus eloquii ab Eccleſiaſte eligendum, quod ſermonem non inornatum relinquit, nec indecenter ornat. Denique

(i) *Lib. 4. de Doctr. Chriſt.* (k) *Cor. 4.*

que prærogativa, quæ Oratorem ſacrum ſupra profanum potiſſimum evehit, eſt *Spiritus*, nimirum ille qui e cœlo per geminos veluti canales derivatur, ſeu per preces præmiſſas, ac ſtudium ſacræ Scripturæ, ſanctorumque Patrum, quique omnem ipſius ſermonem animare debet, linguam regere, totiusque corporis habitum geſtumque moderari. Profecto non opus eſt hoc in negotio immani labore illo, quo cuncta ad leges & apicem artis Rhetoricæ expendantur, & nimis exiliter ad calculos revocentur cum Demoſthene, Hortenſio, Tullio, &c. Grandia religionis noſtræ myſteria, mors Filii Dei innocentis, ſanguis fuſus, ſanctitas fidei Catholicæ, animæ immortalis pretium, cura ſalutis æternæ, quatuor Noviſſima, &c. per ſe ipſa vim virtutemque dicendi maximam inſpirant. Hæc Rhetorica illa cœleſtis eſt, quam intelligit & adhibuit Gentium Apoſtolus Paullus, dum dixit: *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* (1) Hæc eſt, quæ ſuperna ope adjuta, & viribus nixa ſublimioribus, quidquid obſtaculi ponat humani cordis durities, veluti momento perrumpere, & in-

(1) 1. *Cor.* 2.

& inſtar fulminis in ipſa viſcera penetrare novit.

§. III.

Sacræ Scripturæ Studium.

XL.

Nunc de adjumentis agendum, quæ ſacri eloquii curſum promovent, quæque multum a profana diſtant. Primum eſt ſtudium S. Scripturæ, in qua opes omnes cœleſtis cujusdam eloquentiæ quaſi in gazophylacio ditiſſimo adſervantur: *Materia* ad dicendum vere magnifica, *argumenta* ad probandum ſolidiſſima, *ſermonis gravitas & elegantiæ* ad ornandum prorſus admirabiles. Juvat brevi calamo ſingula in conſpectum dare. *Ad primam claſſem* ſeu materiam pertinent, quæ de mundi conditi excellentia, de providentia guberuationis, Patriarcharum geſtis heroicis, de Moyſis potentia, maris rubri tranſitu prodigiis pleno, de legum, ſacrificiorum, ceremoniarum auguſta ſpecie, de Feſtorum & Tabernaculi ſanctitate in Pentateucho leguntur: quæ de Judicum Regumque poteſtate, de populi Iſraelitici bellis atque victoriis; de Judithæ fortitudine, fracta

per

per Eſtherem Amani ſuperbia, Jobi patientia, Nabuchodonoſoris metamorphoſi, de Davidici regni gloria, & templi Salomonici magnificentia in reliquis voluminibus diſſeruntur: quæ de Chriſti adventu, partuque virgineo, & Eccleſiæ veræ Triumpho ſacrorum Vatum carminibus celebrantur in libris Prophetarum: quæ de Filii Dei carnem humanam induti vita, virtutibus, doctrina, miraculis, morte ac gloria reſurgentis in Evangeliis prædicantur: quæ de Apoſtolorum factis præclariſſimis, totiusque naturæ vires ſuperantibus, Chriſtianæ fidei latiſſima propagatione, morumque doctrina ſublimiſſima in Apoſtolorum Actis & Epiſtolis commemorantur. Deum immortalem! quam ſplendida, vaſta & majeſtate plena hæc Concionum materies: quam ampla meſſis pro horreo ſacrorum Oratorum!

Quid de *altera claſſe*, ſeu argumentis ad perſuadendum efficaciſſimis dicam? Exiſtere Deum, eſſeque unum; nec mundum hunc caſu & forte fortuna ex atomis coaluiſſe, adverſus Idololatras & Atheos e libro Geneſis luce clarius demonſtratur: Providentiam Dei cuncta ſuaviter ac fortiter gubernantem Patriarcha-

archarum vitæ, præcipue Abrahami Jacobi & Joſephi, oſtentis divinis locupletiſſimæ, Legatio Moyſis ad Pharaonem, Iſraelitarum peregrinatio in terram promiſſam, Judicum Acta, & Regni Judaici ac Iſraelitici viciſſitudo aperte declarant. Tobiæ pietas, innocentia Joſephi, Suſannæ caſtimonia, pœnitentia Davidis & Manaſſis quam potenter virtutis ſtudium perſuadent? Contra Sodomæ ac Gomorrhæ libido flammis ultricibus caſtigata, ſubmerſa cum Pharaone impietas, punita in Abſolone rebellio, Salomonis in extrema ſenectute dementia, religio ab Antiochi & Herodis tyrannide vindicata quam efficaciter omne vitiorum genus diſſuadent?

XLI.

Ad *tertiam claſſem* accedo, ad ſermonis gravitatem ac elegantiam: pauca heic ex innumeris teſtimonia ſeligo, quibus oſtendam, omnes ſtyli dotes in una S. Scriptura reperiri. Simplicitatem cum majeſtate conjunctam deſideras? Lege verba illa: *In principio creavit Deus cælum & terram.* (m) *Verbum caro factum eſt.* (n) Quam pauca & ſimpliciſſima hæc verba! ſed quam grandes atque

(m) *Gen. Cap.* 1. (n) *Joan. Cap.* 1.

que ſublimes ideas ſuggerunt humano intellectui! quam ſenſu abundant, & integros Interpretum libros implent? Magnifica eſt illa de ſolis lunæque natalibus mentio: *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei; luminare minus, ut præeſſet nocti.* (o) Ejusdem notæ ſunt, quæ de ſtellis Baruch: *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt, & dixerunt adſumus, & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* (p) Sublimitatem ſtyli quæris in ſacris Literis? En! Pſaltes Regius inquit: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam . . . . . in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines terræ verba eorum: in ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: Exultavit ut gigas ad currendam viam; a ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus: non eſt, qui ſe abſcondat a calore ejus.* (q) Et apud Iſaiam ait Dominus: *Cœlum ſedes mea, terra autem*

(o) *Gen. Cap.* 1. (p) *Cap.* 3. *v.* 34. 35.
(q) *Pſalm.* 18.

tem ſcabellum pedum meorum. (r) Et alibi : *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit ? quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera ? . . . . Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt ; ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus . . . . omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.* (s) Quam ſublimis hæc idea granditatis, potentiæque divinæ ! Sermonis ſubtilitatem petis ? præſto ſunt verba illa, quibus Evangelium ſuum orditur S. Joannes : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* (t) Quam ſubtiliter Evangeliſta Divini Verbi generationem æternam : potentiam Dei omnia per Verbum creantis, ejusdemque immenſitatem cuncta ſinu ſuo comprehendentis, illisque vitam inſpirantis explicat? Simili ſermonis acumine utitur ipſe Deus apud Jobum, quando ejus cum amicis diſputationi ſe interpo-

(r) *Cap.* 66. (s) *Cap.* 40.
(t) *Joan. Cap.* 1.

terponens potentiam ſapientiamque ſuam ex rebus conditis demonſtrat, inquiens: *Reſponde mihi, ubi eram, quando ponebam fundamenta terræ? . . . quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? ſuper quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem ejus? . . . . Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulva procedens: cum ponerem nubem veſtimentum ejus, & caligine illud quaſi pannis obvolverem? circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia. Et dixi, uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos, &c.* (u) Meretur ſane, ut ut legatur tota hæc ſubtiliſſima graviſſimaque diſputatio. Figurarum poſcis ornamenta? nec iſta deſunt. Audi Jeremiam: (x) *Virgam vigilantem ego video.* Et Vatem Regium: (y) *Inebriabuntur* (nimirum beati in cœlis) *ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Audi Iſaiam: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & omnia ſculptilia Deorum.* (z) Audi rurſus Davidem: *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in fini-*

(u) *Job. Cap.* 38. (x) *Jerem. Cap.* 1.
(y) *Pſalm.* 35. (z) *Iſai.* 21.

in finibus inimicorum tuorum. Et exurge Domine in præcepto, quod mandaſti, & ſynagoga populorum circumdabit te. Et propter hanc in altum regredere. (a)

XLII.

Deſcriptiones vivis coloribus illuſtratas cupis? ecce! Job indolis ſuæ ad miſericordiam ab infantia pronæ imaginem picturus ita loquitur: *Ab infantia crevit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum .... eo quod liberaſſem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non erat adjutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento & diademate judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum.* (b) Quam elegans autem eſt apud eundem Huſſiticum Principem deſcriptio equi in pugnam prurientis, ipſa Dei ad Jobum loquentis manu velut depicti animatique: *Nunquid, ait Dominus, præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum .... gloria narium ejus terror. Terram ungula fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis; contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super*

(a) *Pſalm.* 7. (b) *Job. Cap.* 31. *v.* 18. & *Cap.* 29. *v.* 12.

Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus. Fervens & tremens ſorbet terram, nec trepidat tubæ ſonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit: vah! procul odoratur bellum, exhortationem ducum & ululatum exercitus. (c) Quis Apelles ejusmodi equum bellicoſum penicillo unquam ita expreſſit, aut Praxiteles ſcalpro? Teneros affectus expectas? in promptu ſunt: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt. Filios enutrivi,* (conqueritur Deus per Iſaiam) *& exultavi, ipſi autem ſpreverunt me. Cognovit bos poſſeſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem me non cognovit.* (d) En! queſtus vehementis doloris indices. Dum Joſeph ſe fratribus agnoſcendum præbet: *Non ſe,* inquit S. Scriptura, *poterat ultra cohibere Joſeph multis coram adſtantibus. Unde præcepit, ut egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ. Elevavitque vocem cum fletu, quam audiverunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis. Et dixit fratribus ſuis: Ego ſum Joſeph: adhuc Pater meus vivit? Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti . . . . cumque*

(c) *Job. Cap.* 39. (d) *Iſai. Cap.* 9.

cumque amplexatus recidiſſet in collum Beniamin fratris ſui, flevit: illo quoque ſimiliter flente ſuper collum ejus, oſculatusque eſt Joſeph omnes fratres ſuos, & ploravit ſuper ſingulos: poſt quæ auſi ſunt loqui ad eum. (e) En! vim innocentem amoris fraterni, ipſa viſcera commoventis. Materni autem amoris ectypon omnibus numeris abſolutiſſimum exhibet in Tobiæ Matre: (f) *Flebat igitur Mater ejus irremediabilibus lacrymis, atque dicebat: Heu heu me fili, ut quid te miſimus peregrinari, lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ, ſpem poſteritatis noſtræ? omnia ſimul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis . . . . Illa autem nullo modo conſolari poterat, ſed quotidie exiliens circumſpiciebat & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, ut procul videret eum, ſi fieri poſſet venientem.* En! Matris ægritudinem, nonniſi præſentia filii ſanandam.

XLIII.

Verum ut magis pateat, quam S. Scriptura ſit dives opum veræ eloquentiæ, ejus vires ac vim in triplici cauſarum genere

(e) *Gen. Cap.* 45. (f) *Tob. Cap.* 10.

nere adducto exemplo experiri juvat. *In genere deliberativo* illuſtris eſt oratio Judithæ, quam ad Sacerdotes ac cives Bethuliæ habuit de urbe hoſti non tradenda: (g) *Quod eſt hoc verbum*, inquiebat, *in quo conſenſit Ozias, ut tradat civitatem Aſſyriis, ſi intra quinque dies non venerit nobis adjutorium? Et qui eſtis vos, qui tentatis Dominum?* Orditur Judith a re ipſa, ſeu ut loquimur, Exordium facit ex abrupto, quoniam res moram non patiebatur. *Non eſt iſte ſermo, qui miſericordiam provocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum diem conſtituiſtis ei. Sed quia patiens Dominus eſt, in hoc ipſo pœniteamus, & indulgentiam ejus fuſis lacrymis poſtulemus . . . . . ut ſicut conturbatum eſt cor noſtrum in ſuperbia eorum, ita etiam de humilitate noſtra gloriemur. Quoniam non ſumus ſecuti peccata patrum noſtrorum, qui dereliquerunt Deum ſuum, & adoraverunt Deos alienos. Pro quo ſcelere dati ſunt in gladium, & in rapinam, & in confuſionem inimicis ſuis: nos autem alterum Deum neſcimus præter ipſum*

(g) *Judith. Cap.* 8.

ipſum: Et nunc fratres, quoniam vos eſtis Presbyteri in Populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium veſtrum corda eorum erigite, ut memores ſint, qui tentati ſunt patres noſtri, ut probarentur, ſi vere colerent Deum ſuum. Memores eſſe debent, quomodo Pater noſter Abraham tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Jacob, ſic Moyſes, &c. Solida ad perſuadendum affert argumenta: Deum diffidentia excitari potius ad furorem, quam flecti ad miſericordiam: lacrymis hanc provocari: animi demiſſione frangi ſuperbiam inimicorum: non tam exiſtiment peccata ſua puniri a Deo, quam tentari virtutem, in cujus rei exemplum adducit Abraham, Iſaac, Jacob, & Moſen, qui fortes in adverſitatibus placebant Numini. *Non ergo ulciſcamur nos pro bis, quæ patimur. Sed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe, flagella Domini, quibus quaſi ſervi corripimur ad emendationem, non ad perditionem noſtram eveniſſe credamus.* Concludit Judith, hortaturque efficaciſſime, ut ſibi certo perſuadeant, Dei ſupplicia hæc inferentis conſilium non eſſe, ut pereant, ſed emendentur, oſtenditque, eo plus divino fiden-

dendum eſſe auxilio, quo minus humanæ ſpei affulgeat. Hæc Judithæ ſuada tam potens fuit, ut tota Concio Sacerdotum & plebis in ejus ſententiam concederet, brevique devicto Holoferne urbs ab obſidione liberata fuerit.

XLIV.

In judiciali genere graviſſime Paullus a Judæis accuſatus coram Rege Agrippa peroravit pro domo ſua (h) *De omnibus, quibus accuſor a Judæis, Rex Agrippa, æſtimo me beatum, apud te cum ſim defenſurus me hodie; maxime te ſciente omnia, & quæ apud Judæos ſunt conſuetudines, & quæſtiones: propter quod obſecro patienter me audias.* Conciliat ſibi ſtatim in exordio Judicem Paullus, reddens benevolum, docilem, & attentum. *Et quidem viam meam a juventute, quæ ab initio fuit in gente mea in Jeroſolymis, noverunt omnes Judæi: Præſcientes me ab initio (ſi velint teſtimonium perhibere) quoniam ſecundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus. Et nunc in ſpe, quæ ad patres noſtros repromiſſionis facta eſt a Deo, ſto judicio ſubjectus: in quam duodecim tribus*

(h) *Act. Cap. 26.*

tribus noſtræ, nocte ac die deſervientes, ſperant devenire. De hac ſpe accuſor a Judæis Rex. Exponit heic ſtylo ſimplici cauſæ momentum. *Ego quidem exiſtimaveram, me adverſus nomen JESU Nazareni debere multa contraria agere. Quod & feci Jeroſolymis, & multos Sanctorum ego in carceribus incluſi, a principibus Sacerdotum poteſtate accepta: & cum occiderentur, detuli ſententiam. Et per omnes Synagogas frequenter puniens compellebam blaſphemare: & amplius inſaniens in eos, perſequebar uſque in exteras civitates. In quibus dum irem Damaſcum cum poteſtate & permiſſu principum Sacerdotum, die media in via vidi, Rex, de cælo ſupra ſplendorem ſolis circumfulſiſſe me lumen, & eos, qui mecum ſimul erant. Omnesque nos cum decidiſſemus in terram, audivi vocem loquentem mihi Hebraica lingua: Saule, Saule, quid me perſequeris? durum eſt tibi contra ſtimulum calcitare.* Addit narrationem brevem & claram eorum, quæ ſibi in itinere contigerint mirabilia. Tum pergit Apoſtolus exponere, quæ mandata ad gentes ad veram fidem convertendas a Chriſto acceperit, proſequiturque orationem: *Unde, rex Agrippa, non fui incredulus cæleſti viſioni: ſed his, qui*

qui ſunt Damaſci primum & Jeroſolymis, & in omnem regionem Judææ, & Gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Hac ex cauſa me Judæi, quum eſſem in Templo, comprehenſum tentabant interficere. Auxilio autem adjutus Dei, uſque in hodiernam diem ſto teſtificans minori & majori, nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moſes. Si paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum, lumen annunciatus eſt populo & Gentibus. Argumenta innocentiæ ſuæ hoc in loco affert Paullus ſane convicentia : primum quidem, quo ſuſpicionem omnem a ſe amolitur, dum oſtendit, ſe a juvenilibus annis perverſæ Judæorum ſectæ addictiſſimum nullum non moviſſe lapidem ad eam mordicus tuendam. Alterum, quo brevi narratione demonſtrat, altiore vi ac imperio, cui reſiſtere nefas foret, ſe vocatum ad fidem Chriſtianam tum ſuſcipiendam, tum ubique gentium promulgandam. Tertium vero, quo palam facit, ſe nihil dixiſſe, quod non pridem Moyſis & Prophetarum ore ac teſtimoniis fuiſſet comprobatum. Denique quaſi per anacephalæoſin concludit, & negat aperte, ſe

a Ju-

a Judæis jure comprehenſum, ac neci eſſe deſtinatum. Tota in oratione hac emicat character Paulli, ſeu imago excelſi animi, fiducia in Deum pleni, & ad omnia intrepidi, quamvis nullibi prudentiæ, manſuetudinis ac civilitatis oblivíſcatur. Exitus Paullinæ cauſæ admodum glorioſus fuit. Nam pro ejus innocentia frementibus licet Judæis pronunciatum eſt a Rege, Præſide ac Concilio univerſo in hæc verba: *Quia nihil morte, aut vinculis dignum quid fecit homo iſte.* Certe nullum Demoſthenes aut Cicero Clientem adeo fortiter, atque adeo potenter in cauſa tam lubrica defendit, uti Paullus ſe ipſum.

XLV.

Supereſt *genus epidicticum ſeu demonſtrativum*, cujus ſpecimen nobiliſſimum e Scriptura depromtum, ut promiſi, exhibeo: Audiemus denuo Gentium Apoſtolum in ſanctiſſimo illo Senatu Areopago magna vi perorantem, & qui ignotus ille Deus eſſet, copioſe demonſtrantem. (1) *Stans autem Paulus in medio Areopagi, ait: Viri Athenienſes per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Præteriens enim, & videns ſimulacra veſtra*

(1) *Act.* 17.

ſtra inveni & aram, in qua ſcriptum erat : IGNOTO DEO. Exordium breve, & deſumptum ex viſceribus cauſæ; ubi notanda verba : *quaſi ſuperſtitioſiores*, per quæ ſi in malam partem accepit Apoſtolus, mitigavit reprehenſionem voce addita *quaſi*; ſi in bonam, uti Cicero, (k) religionis ſtudium velut laudaſſe cenſendus eſt. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* En! propoſitionem ſimplicem & claram! *Deus qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam : & inſpirationem, & omnia : Fecitque ex uno omne genus humanum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum. In ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus : ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dicunt : Ipſius enim & genus ſumus. Genus ergo cum ſimus Dei, non debemus æſtimare auro &*

(k) *Act. 4. in Verrem, ubi de Siculis ait, totam provinciam religionem occupaſſe, mentes omnium Siculorum ſuperſtitionem pervaſiſſe.*

ro & argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis, Divinum eſſe ſimile. Et tempora quidem ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. Validiſſimis hic argumentis utitur Paullus, oſtenditque vanam & inanem eſſe religionem Athenienſium ob tres potiſſimum cauſas, quia colerent Deos falſos: nimis multos: denique ignotos. Atque hæc argumenta exponit ſtylo non minus ſubtili, quam ornato ac oratione perquam numeroſa. In peroratione libere annunciat Chriſti adventum; & ut vehementius animos auditorum commoveat, extremi illius diei atque judicii mentionem ingerit: *Eo quod ſtatuit diem, in quo judicaturus eſt orbem in æquitate, in Viro, in quo ſtatuit fidem præbens omnibus, ſuſcitans eum a mortuis.* Totam hanc Paulli orationem graviſſimam in pugnum contrahere licet: Video vos, O Athenienſes, ubique nimis religioſos & ſuperſtitioſos, quia ubique video veſtros Deos, vota, ſacrificia, lumina: illi autem Dii primo ſunt falſi; ſecundo nimis multi; tertio incogniti. Nemo autem prudenter colit, id quod non cognoſcit, quodque ignorat. Ego ergo huc veni, ut ſuperſtitionem veſtram commutem cum vera

vera religione, ut pro Diis falſis agnoſcatis & colatis verum, pro multis unum, pro ignotis certum & notum, &c. Age jam, extolle Ciceronis eloquentiam, quando M. Marcellum inſigni oratione illa in Julii Cæſaris, inimici acerrimi gratiam reſtituit. Profecto plus triumphavit hæc Paullina eloquentia, dum ſummum illum Virum Dionyſium Areopagitam una cum aliis Chriſto veræque fidei penitus conciliavit. Atque hæc de S. Scripturæ eloquio paullo uberius commemoranda eſſe duxi, ut homines profani intelligant, quam inique deſpiciant, nauſeentque ejus ſtylum tanquam ſimplicem, rudem, & ornatus omnis expertem: ſacri vero, ut perſpiciant, quantos eloquentiæ cœleſtis theſauros in ſinu ſuo reconditos habeat, indeque tanquam ex fonte puriſſimo haurire adſueſcant, quæ, quave ratione ac ſpiritu ad concionem ſint dicturi.

§. IV.

§. IV.

Studium SS. Patrum.

XLVI.

Alterum ad eloquentiam ſacram comparandam adjumentum eſt ſtudium, quod SS. Patrum lectioni meditationique impenditur. Hi etenim, utpote proximiores ipſis fontibus, nempe Apoſtolis, Verbi divini præconibus, puriora ſacri eloquii fluenta in libros ſuos & conciones, quas ut plurimum Homilias vocabant, inde derivarunt, quemadmodum Poeta canit:

Purius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Equidem imitari dicendo hos poſſumus, vel certe cum laude conabimur, adſequi vero illos paucis conceſſum eſt; quoniam ſacer ille ſpiritus, grandis, & excelſus, qui eorum linguam & calamum animavit rexitque, plerumque nos deſtituit. Primum autem, quod hoc in negotio occurrit, eſt, ut Patrum ipſorum effata, inter ſe in ſpeciem pugnantia, conciliem. Fuerunt enim non pauci, qui quum de ſermonis ac ſtyli genere in explicandis rebus altiſſimis ac divinis adhiben-

hibendo diſſererent, omnem ornatui ac dictionis munditiei viam intercluſam voluerant, ſancta quadam ruſticitate contenti : alii vero non tam ornatum, quam nimium ejus ſtudium, & verborum phaleras ac lenocinia procul amandari debere cenſuerunt ; id quod tum maxime agebant Patres antiqui, quando pro ſacris Literis pugnabant contra Gentiles, vitio vertentes Chriſtianis incultum ſermonem, quem in iis deprehendebant, quum libri Platonis, Senecæ, Philonis aliorumque, quos ipſi circumferebant, copioſe ac eleganter de rebus etiam ſummis atque divinis eſſent conſcripti. Ita Celſum magno ſupercilio contemnentem ſacros codices, iisque anteponentem Græcorum ſcripta, ingenti eruditionis adparatu ſuperbientia, refellit Origenes, & multis oſtendit, de induſtria id factum eſſe a ſcriptoribus Canonicis, ne in gratiam doctorum hominum duntaxat eos exaraſſe viderentur, nulla rudium & plebejorum habita ratione, ac ſi hos tanquam profanos humilis conditio a verbi divini intelligentia longiſſime removeret, quum tamen illius fructus ad omnes pertineat. Hinc præclare ait : *Sub tenui & contempta locutione latentem eſſe arcanorum*

rum ſplendorem dogmatum, adeo ut quaſi theſaurum habeamus in vaſis fictilibus, ut luceat ſublimitas virtutis Dei: nec a nobis hominibus eſſe credatur. (l) Ita Petrus Damianus: *Vivacitatem*, inquit, *ſententiarum ſermo ex induſtria cultus evacuat, & dictorum vim ſplendor elaboratus enervat.* Ita quoque Gregorius M. (m) *Mundi ſapientes cum veritate rerum careant, aliud ſe eſſe, quam ſunt, verborum compoſitionibus quaſi ſuperductis coloribus mentiuntur. At contra, doctrina ſapientiæ & prædicatione pulchra eſt, & pura veritate conſpicua: nec aliud ſe per fallaciam prætendit exterius, & aliud reſervat interius: neque in dictis ſuis pulchra videri appetit nitore ſermonis, ſed integritate veritatis.* Breviore calamo eandem ſententiam complexus eſt Auguſtinus, dum ait: *Mundanis Scriptoribus tota cura de verbis eſt, noſtris de rebus.* Exiſtimabant itaque Patres iſti cum pluribus aliis, ſacræ Eloquentiæ ſtudioſum plus de rebus, quam de verbis ſolicitum eſſe oportere, credentes tantundem majeſtati divinarum rerum detrahi, quantum adjiceretur pigmenti e verborum ſelectu.

(l) *Lib. 6. Cap. 1. Philoc.* (m) *Lib. 18. moral. Cap. 26. 27.*

lectu. Contra non defuere Patres alii Veteres, qui ſacram doctrinam non quidem volebant eſſe virginem ſuperbe comtam, & ad ſuperſtitioſæ cujusdam elegantiæ ſpeciem exornatam, ſed modeſte cultam, religioſe nitidam, & majeſtate quadam fulgentem matronam. Unde Cyrillus palam & diſerte inquit: (n) *Non enim elegantiam in dogmaticis ſententiis repudiat, vel tanquam adulterinam rejicit Eccleſiaſtica noſtra doctrina.* Hieronymus (licet ipſi nimis quam par erat Ciceronianum fuiſſe caro ſteterit) Oratori Romano quærenti ex ipſo, cur in opuſculis ſuis ſecularium literarum interdum poneret exempla, & candorem Eccleſiæ ethnicorum ſordibus pollueret? ita reſpondit S. Doctor: (o) *Exemplo id ſe facere Moyſis & Prophetarum, in quibus quædam aſſumpta ſunt de Gentilium libris. Tum Salomonem in exordio Proverbiorum commonere, ut intelligamus ſermones prudentiæ, verſutiasque verborum, parabolas, & obſcurum ſermonem, dicta ſapientum, & ænigmata.* Deinde Paulli exemplum profert, qui non ſemel Poetarum

(n) *Lib. 6. in Joan.* (o) *In Epiſt. ad Magnum.*

tarum flores & verſus ſermonibus ſuis inſperſit, ut Epimenidis, Menandri & Arati. Demum Chriſtianorum ſcriptorum, atque Eccleſiæ Doctorum catalogum producit bene longum, qui omnes & eloquentiſſime dicunt, tamque frequenter ſapientum doctrinis atque ſententiis ſuos referciunt libros, ut neſcias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſeculi, an ſcientiam ſcripturarum. Huic affine teſtimonium eſt, quod præbet Lactantius: (p) *Circumlinatur modo poculum cæleſti melle ſapientiæ, ut poſſint ab imprudentibus amara remedia ſine offenſione potari, dum illiciens primæ dulcedo acerbitatem ſaporis aſperi ſub prætextu ſuavitatis occultat.* Ita in utramque partem pro temporum, morum & cauſarum diverſitate ac conditione loquuntur Patres. Ego ut mentem meam hoc in negotio aperiam, Patresque inter ſe, ut prima fronte videri poſſet, diſſidentes in concordiam revocem, ſic exiſtimo: eloquentiæ culturam ea temperie adhibendam eſſe ab illo, qui ſacra e cathedra doctrinam profitetur, ut ſemper meminerit ſimul cum Apoſtolo, *ſe legatione fungi pro Chriſto*, divinique verbi eſſe

(p) *Lib. 4. de doct. Chriſt. Cap. 11.*

bi eſſe interpretem. Hinc de ſacris ſupernisque rebus ad concionem dicens ſermonis ſplendorem non adfectet, neque profanæ ac elatæ cujusdam eloquentiæ cimelia in *Sancta Sanctorum* inferat, ne hac ratione muneris adeo ſublimis majeſtatem levitatis nota & labe adſpergat: nec tamen vel ſordes amet, vel ſtoica ſeveritate neglectum ſermonis ubique ſectandum ſibi perſuadeat, ſed modeſto ſimplicique cultu quodam & ornatu utatur, plusque de ſententiarum gravitate, quam de verborum acumine ſit ſolicitus. Nihilominus illud quoque fateamur oportet, fuiſſe non paucos SS. Patrum, qui pro varietate loci, temporis, rerum ac perſonarum ita ſtilum exornare non dubitarunt, ut velut majeſtatis priſtinæ tantiſper obliti flores ac elegantias charitesque omnes artis Rhetoricæ tam copioſe in ſcripta ſua congeſſerint, ut cum Rhetorum præſtantiſſimis venire in palmæ contentionem poſſint.

§. V.

Effigies Patrum & Scriptorum S. Eloquentiæ.

XLVII.

Ingens heic ſeſe theatrum aperit, in quo ſummorum in S. Eloquentia Heroum effigies ſe ſpectandas præbent, tum eorum, qui ſacris in pulpitis, librisque editis diſciplinæ hujus monumenta ſane præclara tanquam totidem trophæa erexerunt, tum illorum, qui cœleſtis Rhetoricæ præcepta, multo ſtudio uſuque comprobata, poſteritati reliquerunt. Non eſt animus, cunctos ſingillatim recenſere, ſed præcipuos ſummis veluti apicibus in conſpectum dare. Primo fere loco commemorandus venit Gentium Apoſtolus *Paullus*, cujus Epiſtolas oratorum omnium lucubrationibus eloquentia præſtare Joannes Picus Comes Mirandulanus, ingens illud omnis literaturæ lumen, non dubitavit aſſerere, comparans, immo anteferens eas ſcriptis Tullii ac Demoſthenis, non quod eſſent, ut illæ, calamiſtris inuſtæ, & cincinnis conſtipatæ, ut ait, ſed quòd veram ſolidamque redolerent & ſpirarent eloquentiam veris ſententen-

tentiis & vera arte ſuffultam. Idem ſeculum primum illuſtrarunt *S. Clemens*, patria Romanus, Apoſtolorum diſcipulus, & quartus poſt Petrum, Linum, & Cletum Pontifex. Hic duas Epiſtolas reliquit eo ſtilo conſcriptas, qui inſtar placide labentis purique amnis Eccleſiæ hortum irrigaret: *S. Ignatii*, qui D. Joannis Evangeliſtæ diſcipulus erat, Theophorus vulgo cognominatus, *quaſi Chriſtum circumferens*, ſeptem Epiſtolæ ubique fulgent & ardent, magnaque vi ac culta oratione in animos penetrant: *Dionyſii Areopagitæ* eloquentia ſublime volat, & in altiſſimis myſteriorum divinorum cedris nidum collocans cœleſti, non humana voce loquitur. Secundum ſeculum producit *Athenagoram*, Philoſophum Athenienſem, qui legatione pro Chriſtianis functus M. Aurelio Antonino, & Aurelio Commodo Apologiam obtulit, in qua dum minime eloquentiam profiteretur, maximo ſane artificio rerum intelligentibus eam prodit, lepore ac ingenua quadam dulcedine perfuſam. Eodem orationis genere, nec minore facundia illuſtris fuit *S. Juſtinus Martyr*, Senatorii Ordinis Vir, Chriſtianam Philoſophiam profeſſus, qui ad Antoninum Pium pro veræ fidei Cultoribus apologiam exara-

vit, qua objecta illis crimina diluit; aliam vero ad Romanum Senatum incognita cauſa Chriſtianos damnantem. Singulare quid habet ejus eloquium, non verbis comtis aut figuris luxuriantibus, ſed ubertate doctrinæ, argumentorum pondere ac ſapientia, caſtaque ſobrietate judicii ſpectabile. Magiſtro non minor fuit diſcipulus *Tatianus* Aſſyrius, qui teſte Hieronymo infinita ſcripſit volumina, inter quæ recenſetur oratio diſertiſſima adverſus Gentiles, & liber de Concordia quatuor Evangeliſtarum: Sed hic poſt Juſtini obitum a fide defecit, factus hæreſis auctor. *Irenæus* ob ſingularem facundiæ laudem a Lugdunenſibus Chriſtianis, ſub Antonino Vero gravia quæque paſſis, ad Eleutherium Pontificem Legatus mitti meruit, ſcriptorum poſt ſe omnium encomiis celebratus. Seculum tertium ſeu latinæ ſeu græcæ eloquentiæ fama impleveruut *Tertulianus* & *Origenes*, qui Viri contemptis Rhetorum floſculis ubertatem, amplitudinem, firmitatem, gravitatemque ſacri ſermonis unice ſectabantur. *Clemens Alexandrinus*, quem Athenæum & Plutarchum Chriſtiani nominis apellare fas eſt, nihil ſeu ſacræ ſeu humanæ ſapientiæ intactum reliquit, manſuetioris literaturæ ſidus primæ magnitudi-

tudinis. De *Cypriano*, qui Carthagine prius Rhetoricam profeſſus, poſtmodum mira eloquentia, & incredibili ad convincendos Hæreticos efficacitate ſcripſit, D. Auguſtinus teſtatur, quod ejus ſermo totus auro & margaritis Ægyptiorum, hoc eſt, exterarum diſciplinarum nituerit. *L. Lælius Lactantius* facundiam Tullianæ ſimilem optabat ſibi, ut veritatem fortius propugnaret, & hominibus perſuaderet facilius; quo voto ſuo plene damnatus eſt, glorioſo Ciceronis Chriſtiani titulo paſſim inſignitus. Quartum ſeculum vidit & obſtupuit ſummos Oratores ſacros *Baſilium* & *Gregorium Nazianzenum*, nobiliſſimum Par amicitiæ, doctrinæ & ſanctitatis, quorum poſterior orationes ſuas ad omnes Rhetoricæ leges conformavit: prior vero auream in dicendo mediocritatem adhibuit; uterque copioſus, ſuavis, abundans optimis ſenſis, & cunctis orationis divitiis locuples. *Athanaſius*, quem nec ſæviſſima periculorum tempeſtas, nec humanorum commodorum aura potuit unquam de ſuo curſu dimovere, Arii ejusque Aſſeclarum impium & conſceleratum furorem eloquenti magnanimitate, & magnanima eloquentia compreſſit. Ut nihil dicam de *Chryſoſtomo*, *Ambroſio*, *Hieronymo*,

Auguſtino, *Bernardo*, aliisque ſacris Oratoribus ſequentium ſeculorum, quorum vivi characteres in ipſis facultatis oratoriæ ſpeciminibus, quæ paulo poſt adducam, apparebunt. Interea ſilentio præterire nefas eſt S. Eloquentiæ Scriptores, inter quos *Ludovicus Granatenſis* de Rhetorica Eccleſiaſtica libros edidit: *Ludovicus Carbo a Coſtaciaro* Divinum Oratorem libris ſeptem eruditis & valde utilibus eſt complexus: *Guilielmus*, *Pariſienſis Epiſcopus*, doctiſſimus Theologus, librum de Rhetorica divina vulgavit. Præſtantiſſime vero uberrimeque univerſam hanc materiam magnus ille Orator *Nicolaus Cauſſinus* S. J. ultimis duobus libris explicavit. Neſcio tamen, an utiliorem hac in palæſtra operam collocarit quisquam Vincentio Houdry S. J. Gallo: Vir hic meritis & annis gravis (nonageſimum enim nonum vivendo attigit) non ſolum ſacros ſermones in ſingulas Dominicas & feſtos anni dies, tanquam vivos eloquentiæ ſuæ teſtes edidit, verum etiam ut alienæ conſuleret, inſigne opus quatuor Tomis conſtans, ſeu *Bibliothecam Concionatorum*, qua ſimul & præcepta & methodum optimos quosque Oratores imitandi complexus eſt.

§. VI.

§. VI.

Sententiæ Patrum.

XLVIII.

Præmittam breviores Patrum ſententias, ſed ſelectas, ſucci nativi plenas, & grandibus ideis refertas, quarum copia & ſplendor, ſi cætera abeſſent omnia, ad Patrum lectionem ſedulam, atque perpetuam ſacrorum ſubſelliorum candidatos excitare deberet. S. Cyprianus (q) theatra & obſcœnas comœdias perſtringens ait: „ Ne ſeculis trans„ euntibus exoleſcat, quod aliquando „ commiſſum eſt, admonetur omnis ætas „ auditu, fieri poſſe, quod factum eſt. „ Nunquam ævi ſenio delicta moriun„ tur: exempla fiunt, quæ jam eſſe fa„ cinora deſtiterunt: cum Deos ſuos, „ quos venerantur, imitantur, fiunt mi„ ſeris & delicta religioſa. „ Idem de veterum in campo Martio gladiatoribus: „ Madet orbis mutuo ſanguine, & ho„ micidium, cum admittunt ſinguli, cri„ men eſt: virtus vocatur, cum publi„ blice geritur. Impunitatem ſceleribus „ acqui-

(q) *In Epiſt. 1. ad Donat.*

„ acquirit non innocentiæ ratio, ſed ſæ-
„ vitiæ magnitudo. „ S. Chryſoſtomus adverſus iracundos (r) „ Beſtiæ natu-
„ ra ſua feroces cura hominum ſæpe ci-
„ curantur, non vero homines ab homi-
„ nibus . . . furorem quem domitis ani-
„ mantibus & belluis, vos aſſumitis, &
„ eo, quo leonem tigridemque blandos
„ efficitis, tempore vos ipſi leone tigri-
„ deque ferociores evaditis. „ S. Ambroſius, dum virginitatem commendat. „ Quis autem, inquit, humano eam poſ-
„ ſit ingenio comprehendere, quem nec
„ natura ſuis incluſit legibus ? aut quis
„ naturali voce amplecti, quod ſupra
„ uſum naturæ ſit ? e cœlo accerſivit,
„ quod imitaretur in terris. Nec imme-
„ rito vivendi uſum quæſivit e cœlo,
„ quæ ſponſum ſibi invenit in cœlo. „ (s) S. Auguſtinus de Abrahamo Patriarcha : (t) „ Quem votis ſuis, ait,
„ Philoſophia non potuit æquare. Mi-
„ nus eſt, quod illa finxit, quam quod
„ iſte geſſit, majorque ambitioſo eloquen-
„ tiæ mendacio ſimplex veritatis fides. „ Idem de Lazaro, quem volebant interficere

(r) *Homil.* 4. *in Cap.* 1. *Matth.*
(s) *Lib.* 1. *de Virgin.*
(t) *De eod. Lib.* 1. *Cap.* 2.

ficere Judæi (u) „ O ſtulta cogitatio, „ & cœca ſævitia. Quando Lazaro in- „ ferebatis necem, nunquid auferebatis „ Domino poteſtatem ? ſi aliud videtur „ vobis mortuus, aliud occiſus ? ecce, „ Dominus utrumque fecit, & Lazarum „ mortuum, & ſe ipſum ſuſcitavit occi- „ ſum. „ S. Gregorius Nazianzenus virginitatis & abſtinentiæ ſtudium, quo excelluit S. Gorgonia ſoror, his verbis celebrat. „ Non amabat ruborem, niſi „ qui eſſet a pallore, quo vultum pinge- „ bat jejuniorum frequentia. (x) Contra luxum divitum ita detonat S. Cyprianus. „ Quibus hoc ſordibus emit, „ ut fulgeat ? . . . ſuſpirat ille in con- „ vivio, licet gemma bibat ? . . . nec in- „ telligit miſer, ſpecioſa ſibi eſſe ſuppli- „ cia, auro ſe alligatum teneri, & ma- „ gis poſſideri, quam poſſidere divitias. „ (y) Sed ad majora properemus.

XLIX.

Fas erit, quædam varii, quo in dicendo uſi ſunt, generis exempla prodere, e Patrum iſtorum ſermonibus depromta, in quibus magis adhuc vivas effigies

(u) *Tract.* 50. (x) *Orat.* 11.
(y) *Epiſt.* 1. *ad Donat.*

effigies Eloquentiæ ſacræ intueri licebit. Granditatem ubique ſpirat, & in dicendo profitetur S. Leo M. Hic eximium Eccleſiæ, Romæ primum fundatæ, teſtimonium perhibet dum ait (z)

„ Inter hæc Beatiſſimus Petrus Prin„ ceps Apoſtolici ordinis ad arcem Ro„ mani deſtinatur Imperii, ut lux veri„ tatis, quæ in omnium gentium reve„ labatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo „ capite per totum mundi corpus effun„ deret. Cujus autem nationis homines „ in hac tunc urbe non eſſent; aut quæ „ uſquam gentes ignorarent, quod Ro„ ma didiciſſet? Hic conculcandæ erant „ terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confu„ tandi dœmonum cultus, hic omnium „ ſacrilegiorum impietas deſtruenda, ubi „ diligentiſſima ſuperſtitione habebatur „ collectum, quidquid uſquam fuerat va„ nis erroribus inſtitutum. „ Tum Romam alloquens, inquit: „ Iſti ſunt, qui „ te ad hanc gloriam provexerunt, ut „ gens ſancta, populus electus, civitas „ ſacerdotalis & regia per ſacram D. Pe„ tri Sedem Caput orbis effecta latius „ præſideres religione divina, quam do„ minatione terrena. Quamvis enim mul„ tis

(z) *Serm. 2. de Apoſt. Petro & Paulo.*

„ tis aucta victoriis jus Imperii tui ter-
„ ra marique protuleris, minus tamen
„ eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit,
„ quam quod pax Chriſtiana ſubjecit.„

Et alibi: (a) „ Iſti enim ſunt Viri,
„ per quos tibi Evangelium Chriſti Ro-
„ ma reſplenduit; & quæ eras Magiſtra
„ erroris, facta es diſcipula veritatis.
„ Iſti ſunt patres tui, verique Paſtores,
„ qui te regnis cœleſtibus inſerendum
„ multo melius, multoque felicius con-
„ diderunt, quam illi, quorum ſtudio
„ prima mœnium tuorum fundamenta lo-
„ cata ſunt; ex quibus is, qui tibi no-
„ men dedit, fraterna te cæde fœda-
„ vit.

Ingenio & ſententiis plenam dictionem quis non admiretur in S. Auguſtino. (b) „ Magnum ſpectaculum, fra-
„ tres, poſitum ante oculos fidei noſtræ.
„ Aure audivimus, corde vidimus optan-
„ tem matrem ante ſe finire iſtam vitam
„ filios ſuos, longe contrariis votis con-
„ ſuetudini humanæ. Omnes enim ho-
„ mines filios ſuos ex hac vita migran-
„ do

(a) *Serm.* 1. *in Natali eorumdem Apoſtolorum.* (b) *Serm.* 100. *de* 7. *Fratribus Martyribus, & S. Felicitate Matre.*

„ do præcedere volunt, non ſequi : illa „ autem optavit poſterior mori. Non „ enim amittebat filios, ſed præmitte- „ bat : nec intuebatur, quam vitam fi- „ nirent, ſed quam inchoarent. Deſine- „ bant enim vivere, ubi quandoque fue- „ rant morituri : & incipiebant ſine fine „ victuri. Parum eſt, fuiſſe ſpectatri- „ cem : mirati ſumus potius hortatri- „ cem. Fœcundior virtutibus, quam fœ- „ tibus : videns certantes, in quibus om- „ nibus ipſa certabat, & in omnibus vin- „ centibus ipſa vincebat. „

Stilum fulgidum, vibrantem, & idearum nobilitate conſpicuum exhibet S. Ambroſius : (c) „ Natalis eſt Virginis : in- „ tegritatem ſequamur. Natalis eſt Mar- „ tyris, hoſtias immolemus. Natalis eſt „ S. Agnetis, mirentur viri, non deſpe- „ rent parvuli : ſtupeant nuptæ, imiten- „ tur innuptæ .... Quo deteſtabilior „ crudelitas, quæ non minuſculæ peper- „ cit ætati : immo magna vis fidei, quæ „ etiam ab illa teſtimonium invenit æta- „ te. Fuitne in illo corpuſculo vulneris „ locus ? Et quæ non habuit, quo fer- „ rum reciperet, habuit quo ferrum vin- „ ceret. Hæc inter cruentas carnificum „ impa-

(c) *Lib. de Virgin.*

„ impavida manus, hæc ſtridentium gra-
„ vibus immobilis tractibus catenarum,
„ nunc furentis mucroni militis totum
„ offerre corpus, mori adhuc neſcia, ſed
„ parata, vel ſi ad aras invita rapere-
„ tur, tendere Chriſto inter ignes ma-
„ nus, atque in ipſis ſacrilegis focis tro-
„ phæum Domini ſignare victoris: nunc
„ ferratis colla manusque ambas inſerere
„ nexibus: ſed nullus tam tenuia mem-
„ bra poterat nexus includere. Novum
„ martyrii genus; nondum idonea pœ-
„ næ, & jam matura victoriæ: certare
„ difficilis, facilis coronari: magiſterium
„ virtutis implevit, quæ præjudicium ve-
„ hebat ætatis. Non ſic ad thalamum
„ nupta properaret, ut ad ſupplicii lo-
„ cum, læta ſucceſſu, gradu feſtina vir-
„ go proceſſit. Flere omnes, ipſa ſine
„ fletu. Mirari plerique, quod tam faci-
„ le vitæ ſuæ prodiga, quam nondum
„ hauſerat, jam quaſi perfuncta donaret.
„ Stupere univerſi, quod jam divinitatis
„ teſtis exiſteret, quæ adhuc arbitra ſui
„ per ætatem eſſe non poſſet. Quanto
„ terrore egit carnifex, ut timeretur,
„ quantis blanditiis ut ſuaderet, quanto-
„ rum vota, ut ſibi ad nuptias proveni-
„ ret? At illa: Et hæc ſponſi injuria
„ eſt,

„ eſt, inquit, exſpectare placituram. Qui „ me ſibi prior elegit, accipiet: quid per„ cuſſor moraris ? pereat corpus, quod „ amari poteſt oculis, quibus nolo. Ste„ tit, oravit, cervicem inflexit. Cerne„ res trepidare carnificem, quaſi ipſe ad„ dictus fuiſſet : tremere percuſſoris dex„ teram, pallere ora alieno timentis pe„ riculo, cum puella non timeret ſuo. „ Habetis igitur in una hoſtia duplex mar„ tyrium, pudoris & religionis. Et vir„ go permanſit, & martyrium obtinuit. „ Magis adhuc ſtylum acuit idem S. Do&tor, dum vehementi apoſtrophe Herodi Regi necem D. Joannis Baptiſtæ exprobrat his verbis : „ Intuere Rex acer„ biſſime tuo ſpectacula digna convivio. „ Porrige dexteram, ne quid ſævitiæ tuæ „ deſit, ut inter digitos tuos rivi de„ fluant ſacri cruoris. Et quoniam non „ exaturari epulis fames, non reſtingui „ poculis potuit inauditæ ſævitiæ ſitis : „ bibe ſanguinem ſcaturientibus adhuc „ venis exſecti capitis profluentem. Cer„ ne oculos in ipſa morte ſceleris tui te„ ſtes, averſantes conſpectum delicia„ rum. Clauduntur lumina non tam „ mortis neceſſitate, quam horrore lu„ xuriæ. Os aureum illud exſangue, cu-

„ jus

„ jus ſententiam ferre non poteras, conti-
„ ceſcit, & adhuc timetur. „ (e)

In S. Chryſoſtomo, in quo ipſa ſacra eloquentia ſedem fixiſſe videtur, præ reliquis eminuit affectuum vehementia, & energia ſermonis : exemplo ſit oratio præclariſſima, quam pro Antiochenis civibus poſt dejectas Imperatoris ſtatuas ad placandam iram Theodoſii habuit, a Cauſſino in latinam linguam translata : (f)
„ Habes quidem, o Rex, confitentes
„ reos; nec enim negare poſſumus amo-
„ ris tui erga hanc noſtram civitatem
„ prolixam ſignificationem. Quamobrem
„ graviter lugemus, quod urbi tantopere
„ dilectæ ſic furioſi dœmones inviderint,
„ ut a quo nobis perjucunda quæque, &
„ maxime honorifica cecidiſſent, in eum
„ peſſima ſceleris nota videremur ingra-
„ ti. Tu ſive dirues, ſive incendas, ſi-
„ ve occidas, ſive quodcunque aliud fa-
„ cias, nondum dignas de nobis pœnas
„ exegeris, nos innumeris mortibus ſup-
„ pliciorum antevertimus lenitatem . .
„ . . . Sed ſi velis, o Rex, eſt vulneri
„ medicina, & tantis malis remedium.
„ Sæpius

(e) *De Virgin. Lib.* 3. (f) *Homil. ad P. Antioch.*

„ Sæpius in privatis hominibus hoc fa-
„ ctum eſt, magnæ & graves offenſiones
„ eximiæ charitatis materia fuerunt . . . .
„ Cum enim hominem Deus condidit,
„ & in paradiſum induxit, præclariſſimis
„ honoribus cumulatum, tantam diabo-
„ lus proſperitatem non ferens. invidit,
„ & illum a ſua expulit dignitate. Sed
„ Deus non tantum ipſum non deſeruit,
„ verum & pro iſtis voluptatibus para-
„ diſi cœlum nobis aperuit, ut hoc ipſo
„ propriam teſtaretur benignitatem, &
„ dæmonis invidiam noſtra felicitate pu-
„ niret . . . . . Dejecerunt ſtatuas tuas?
„ ſed illis illuſtriores reſtituere tibi licet.
„ Si enim injuriæ auctoribus crimina re-
„ miſeris, & nullam ipſis inflixeris pœ-
„ nam, non æream in foro tibi ſtatuam
„ erigent, nec auream, nec lapillis co-
„ agmentatam: ſed omni materia pretio-
„ ſiori amictu veſtitam, humanitate ſci-
„ licet & miſericordia; talem in mente
„ quisque ſua te eriget, & tot habe-
„ bis ſtatuas, quot ſunt & erunt homi-
„ nes in orbe terrarum . . . . Recorda-
„ re præteriti temporis, quando ſolem-
„ nitate hac ſuperveniente per totum or-
„ bem terrarum epiſtolas miſiſti, jubens
„ carcere detentos dimitti, & ipſis igno-
„ ſci. Addebas quoque glorioſiſſimam

„ vocem

„ vocem : *utinam mihi liceret, & defun-*
„ *ctos revocare, & ad priorem vitam re-*
„ *ducere.* Horum nunc reminiſcere ver-
„ borum : Tempus tibi oblatum eſt, quo
„ poſſis mortuos ad vitam excitare. Et
„ hi namque jam mortui ſunt, & prius-
„ quam feratur ſententia, ad ipſas infe-
„ rorum foras calamitoſa civitas conſe-
„ dit . . . . Et ne ſpes noſtras atteras,
„ promiſſionesque confundas, hoc ego
„ te cum aliis, hoc ſcire volo ; quodſi
„ reconciliari velis, & priſtinam civitati
„ benevolentiam communicare, cum mul-
„ ta revertar fiducia : ſi vero civita-
„ tem aſperneris, non tantum ipſam non
„ aſcendam, nec ipſius ſolum videbo, ve-
„ rum & perpetuum mihi indicam exi-
„ lium, & in aliam me partem terrarum
„ conjiciam : Neque enim hoc contin-
„ gat, ut in illam unquam adſcribi pa-
„ triam velim, in quam humaniſſimus
„ tu, & omnium hominum mitiſſimus
„ Imperator pacari reconciliarique nolue-
„ ris.

Stili lenis ac dulcis typum exhibet Mellifluus doctor D. Bernardus (g) de nomine B. V. Mariæ. „ Loquamur, ait, pauca

(g) *Homil. 2. ſuper miſſus eſt.*

„ pauca & ſuper hoc nomine, quod in-
„ terpretatum *maris ſtella* dicitur, & Ma-
„ tri Virgini valde convenienter apta-
„ tur. Ipſa namque aptiſſime ſideri com-
„ paratur. Quia ſicut ſine ſui corru-
„ ptione ſidus ſuum emittit radium, ſic
„ absque ſui læſione Virgo parturivit fi-
„ lium. Nec ſideri radius ſuam minuit
„ claritatem, nec Virgini filius integri-
„ tatem. Ipſa eſt igitur nobilis illa ſtel-
„ la ex Jacob orta, cujus radius univer-
„ ſum orbem illuminat; cujus ſplendor
„ & præfulget in ſupernis, & inferos
„ penetrat, terras etiam perluſtrans, &
„ calefaciens magis mentes, quam cor-
„ pora: fovet virtutes, excoquit vitia.
„ Ipſa, inquam, eſt præclara & eximia
„ ſtella ſuper hoc mare magnum, & ſpa-
„ tioſum neceſſario ſublevata, micans
„ meritis, illuſtrans exemplis. O quis-
„ quis te intelligis in hujus ſeculi pro-
„ fluvio magis inter procellas, & tem-
„ peſtates fluctuare, quam per terram
„ ambulare, ne avertas oculos a fulgo-
„ re hujus ſideris, ſi non vis obrui pro-
„ cellis. Si exſurgant venti tentatio-
„ num, ſi incurras ſcopulos tribulatio-
„ num, reſpice ſtellam, voca Mariam.
„ Si jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitio-
„ nis, ſi detractionis, ſi æmulationis, re-
„ ſpice

„ ſpice ſtellam, voca Mariam. Si ira-
„ cundia aut avaritia, aut carnis illece-
„ bra naviculam concuſſerit mentis, re-
„ ſpice ad Mariam. Si criminum imma-
„ nitate turbatus, conſcientiæ fœditate
„ confuſus, judicii horrrore perterritus,
„ barathro incipias abſorberi triſtitiæ, de-
„ ſperationis abyſſo, cogita Mariam ....
„ Non recedat ab ore, non recedat a cor-
„ de .... Ipſam ſequens non devias,
„ ipſam rogans non deſperas, ipſam co-
„ gitans non erras : ipſa tenente non
„ corruis, ipſa protegente non metuis,
„ ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia ad
„ portum pervenis, & ſic in temetipſo expe-
„ riris, quam merito dictum ſit : *Et no-*
„ *men Virginis Maria.* „

Philippicam acri vibranteque calamo ſcripſit S. Gregorius M. qua mundi hujus pſeudo-ſapientiam acerrime perſtringit. (h) „ Hujus mundi ſapientia eſt,
„ cor machinationibus tegere, ſenſum
„ verbis velare, quæ falſa ſunt, vera
„ oſtendere ; quæ vera ſunt, falſa de-
„ monſtrare. Hæc nimirum prudentia
„ uſu a juvenibus ſcitur, hæc a pueris
„ pretio diſcitur : hanc qui neſciunt, cæ-
„ teros

(h) *Lib.* 10. *Moral. Cap.* 16.

„ teros deſpiciendo ſuperbiunt: hanc qui „ neſciunt, ſubjecti & timidi in aliis mi- „ rantur: quia ab eis hæc eadem du- „ plicitatis iniquitas nomine palliata di- „ ligitur, dum mentis perverſitas urba- „ nitas vocatur. Hæc ſibi obſequentibus „ præcipit honorum culmina quærere, „ adepta temporalis gloriæ vanitate gau- „ dere, irrogata ab aliis mala multipli- „ cius reddere: cum vires ſuppetunt, „ nullis reſiſtentibus cedere; cum virtu- „ tis poſſibilitas deeſt, quidquid explere „ per malitiam non valent, hoc in pa- „ cifica bonitate ſimulare. At contra ſa- „ pientia juſtorum eſt, nil per oſtenſio- „ nem fingere; ſenſum verbis aperire; „ vera ut ſunt diligere; falſa devitare; „ bona gratis exhibere: mala libentius „ tolerare quam facere, nullam injuriæ „ ultionem quærere: pro veritate con- „ tumeliam lucrum putare. Sed hæc ju- „ ſtorum ſimplicitas deridetur; quia ab „ hujus mundi ſapientibus puritatis vir- „ tus fatuitas creditur. Omne enim „ quod innocenter agitur, ab eis pro- „ cul dubio ſtultum putatur; & quid- „ quid in opere veritas approbat, car- „ nali ſapientiæ fatuum ſonat. „ Non minore vi eloquentiæ idem S. Doctor in Judæorum pervicaciam invehitur *Homi- lia 10.*

lia 10. *in Matthæum* : „ Omnia ele-
„ menta Auctorem ſuum veniſſe teſtata
„ ſunt. Ut enim de eis quiddam huma-
„ no uſu loquar : Deum hunc cœli eſſe
„ cognoverunt, quia protinus ſtellam mi-
„ ſerunt. Mare cognovit, quia ſub plan-
„ tis ejus calcabile ſe præbuit. Terra co-
„ gnovit, quia eo moriente contremuit.
„ Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios ab-
„ ſcondit. Saxa & parietes cognoverunt,
„ quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt.
„ Infernus agnovit, quia hos, quos te-
„ nebat mortuos, reddidit. Et tamen
„ hunc, quem Dominum omnia inſenſi-
„ bilia elementa ſenſerunt, adhuc infide-
„ lium Judæorum corda Deum eſſe mi-
„ nime cognoſcunt, & duriora ſaxis
„ ſcindi ad pœnitentiam nolunt. „

Sermonis elegantias, affectus teneros, & vernantes figurarum flores ſæpius non abhorruit ſubtile cæteroquin ac vaſtum ingenium, D. Auguſtinus. Audiamus dicentem de cæde Innocentium. (i) „ Na-
„ ſcente Domino luctus cœpit, non cœ-
„ lo, ſed mundo : indicitur matribus la-
„ mentatio, Angelis exultatio, infanti-
„ bus

(i) *Sert.* 1. *de Innoce*

„ bus transmigratio. Deus eſt, qui na-
„ tus eſt : Innocentes illi debentur vi-
„ ctimæ, qui venit damnare mundi ma-
„ litiam. Agnelli debent immolari, quia
„ agnus futurus eſt crucifigi, qui tollit
„ peccata mundi. Sed oves ululant ma-
„ tres, quia agnos perdunt ſine voce ba-
„ lantes. Grande martyrium, crudele ſpe-
„ ctaculum. Eximitur machæra, & nul-
„ la intervenit cauſa : ſola ſtridet invi-
„ dia, cum qui natus eſt, nulli facit
„ violentiam. Sed oves cernimus ma-
„ tres, quæ ſuper agnos lugent. Vox
„ in Rama audita, ploratus & ululatus
„ magnus. Pignora ſunt non credita,
„ ſed creata : non depoſita, ſed expoſi-
„ ta. Teſtis eſt ipſa natura, quæ pugna-
„ bat in Martyres, cum Tyrannus jacta-
„ ret infantes. Mater crines capitis diſ-
„ ſipabat, quæ ornamentum capitis amit-
„ tebat. Quantis modis infantem vole-
„ bat abſcondere, & ipſe ſe infantulus
„ publicabat. Neſciebat tacere, quia
„ necdum didicerat formidare. Pugna-
„ bat mater & carnifex : ille trahebat,
„ illa tenebat. Ad carnificem mater cla-
„ mabat: Quid ſeparas a me, quem genui
„ ex me? ... alia acclamabat Mater, cum ex-
„ actor latro non compelleret ſimul occidi
„ cum parvulo matrem; ut quid me dimittis

„ ina-

„ inanem ? ſi culpa eſt, mea eſt : ſi non „ eſt crimen, junge mortem & libera „ matrem. Alia dicebat : Quid quæri- „ tis ? unum quæritis, & multos occidi- „ tis, & ad unum, qui unus eſt, attin- „ gere non poteſtis. Alia contra clama- „ bat : Veni jam, veni Salvator mun- „ di ; quamdiu quæreris ? Nullum ti- „ mes : videat te miles, & noſtros non „ occidat infantes. Miſcebatur lamenta- „ tio matrum, & ad cœlum tranſibat „ oblatio parvulorum. „

Contra Salvianus ut plurimum abripi ſe paſſus quodam orationis æſtu ac impetu, non inferiore illo, quo Demoſthenes tonabat potius, quam perorabat. De Carthagine luxuriante in circo inter armorum terrores (k) ita inquit. „ Quis „ æſtimare hoc malum poſſit ? circumſo- „ nabant armis circa Carthaginem popu- „ li barbarorum : & Eccleſia Carthagi- „ nenſis inſaniebat in circis, luxuriabat „ in theatris : alii foris jugulabantur, alii „ intus fornicabantur : pars plebis erat „ foris captiva hoſtium, pars intus ca- „ ptiva vitiorum. Cujus ſors pejor fue- „ rit, incertum eſt. Illi quidem erant „ extrinſecus carne, ſed iſti intus mente „ capti.

(k) *Lib.* 6.

„ captivi, & ex duobus lethalibus ma-
„ lis, levius ut reor, captivitatem cor-
„ poris Chriſtianum, quam captivitatem
„ animæ ſuſtinere, ſecundum illud, quod
„ docet Salvator ipſe in Evangelio, gra-
„ vius multo animorum mortem eſſe,
„ quam corporum, An credimus forte,
„ quod captivus animo populus ille non
„ fuerit, qui lætus tunc in ſuorum capti-
„ vitatibus fuit? captivus corde & ſen-
„ ſu non erat, qui inter ſuorum ſuppli-
„ cia ridebat, qui jugulari ſe in ſuorum
„ jugulis non intelligebat, qui mori ſe
„ in ſuorum mortibus non putabat? Fra-
„ gor, ut ita dixerim, extra muros &
„ intra muros præliorum & ludicrorum
„ confundebatur; vox morientium, vox-
„ que bacchantium; ac vix diſcerni for-
„ ſitan poterat plebis ejulatio, quæ ca-
„ debat in bello, & ſonus populi, qui
„ clamabat in circo, niſi ut cum eum
„ Deus perdere adhuc fortaſſe nollet, ta-
„ men ipſe exigeret, ut periret. En præ-
clara Eloquentiæ ſacræ monumenta e ſan-
ctorum Patrum Scriptis depromta! Illud
tamen animadverſione dignum, quod aliqui
vitio vertunt, alii per morem temporum
illorum excuſant: nempe Patres non mo-
dicam eloquentiæ ſuæ vim poſuiſſe in fi-
gura, ut ajunt, Rhetorica *ſimiliter ca-*
dentium

dentium, quam in amoribus ac pene in deliciis habuiſſe videntur. Ut reliquos taceam, unum duntaxat e S. Fulgentio exemplum producere juvat. Hic in ſermone de S. Stephano: „ Heri Chriſtus „ exivit de utero Virginis: hodie miles „ egreſſus eſt de ergaſtulo carnis. Heri „ Chriſtus pro nobis pannis eſt involutus: „ hodie Stephanus ſtola eſt ab eo immor„ talitatis indutus. Heri præſepis anguſtia „ Chriſtum portavit infantem: hodie im„ menſitas cœli ſuſcepit Stephanum tri„ umphantem. Solus Dominus deſcen„ dit, ut multos elevaret: humiliavit „ ſe Rex noſter, ut ſuos milites exalta„ ret . . . . Stephanus ſævitiam Judæo„ rum potuit ſuperare, ut ita meruiſſet „ feliciter triumphare. Stephanus ergo, „ ut nominis ſui coronam acciperet, cha„ ritatem pro armis habebat, & per ipſam „ ubique vincebat. Per charitatem Dei „ ſævientibus Judæis non ceſſit; per cha„ ritatem proximi pro lapidantibus inter„ ceſſit. Per charitatem arguebat erran„ tes, ut corrigerentur: per charitatem „ pro lapidantibus orabat, ne puniren„ tur. „

§. VII.

§. VII.

Duo alia ad ſacram Eloquentiam adjumenta.

L.

Nunc poſtquam SS. Patrum ſtudium plus exemplis ex ipſorum ſacra penu depromtis, quam verbis meis commendavi, arbitratus aquam limpidam turbidæ præferri debere, breviter de duobus aliis ad Eloquentiam ſacram adjumentis eſt agendum. *Primum* eſt Theologiæ ſtudium. Qua enim ratione poterit Eccleſiaſtes e cathedra explicare myſteria fidei: *Unitatem ac Trinitatem Divinam, Dei perfectiones, providentiam, prædeſtinationem, reprobationem, incarnationem Chriſti, gratiam habitualem, & actualem, Sacramentorum inſtitutionem, vim & efficaciam, libertatem humanam, juſtificationis negotium, veritatem fidei Catholicæ, infallibilitatem Eccleſiæ Orthodoxæ, &c.* Niſi prius in diſciplina Theologica, ejusque principiis probe fuerit fundatus ac exercitatus? Hac ſcientia deſtitutus ſi ad populum dicere velit, aut facile miſcebit falſa veris, vel omnino errores hæreſesque tanquam zizania pro tritico

tico diſſeminabit, vel non audebit de illis diſſerere, & Petri naviculam alto committere, timore perculſus, ne in ſcopulos & ſyrtes latentes continuo incidat: atque ita fiet, ut pabulo neceſſario Chriſti oves deſtituantur, vel ut cum paſtore errante grex erret univerſus. Terrent adhuc veſtigia, quando nobiliſſimas Germaniæ ditiones inſcitia Antiſtitum cum pravis moribus conjuncta Lutheri, Calvini ac Zwinglii temporibus miſere peſſum dedit. *Alterum* eſt ſtudium doctrinæ, quam Moralem appellamus: non illam intelligo, quæ ex Veterum Philoſophorum placitis eruitur, nec ultra paganam quandam probitatem aſcendit, ſed eam, quæ ex SS. Literis, Evangeliis, Apoſtolorum Epiſtolis, & SS. Patrum libris tanquam fonte illimi hauritur: quæque ſupra vires ſolius naturæ eluctatur, & ad veram ſupernamque beatitatem tendit ac promovet. Absque hac ſacer orator forte blandietur auribus, ſatiabit intellectum, ſed cor intactum relinquet: loquetur ſplendida, ſublimia, admirabilia, ſed ſpiritu vacua, & quæ præter folia nihil fructus oſtentant; verbo: erit *æs ſonans, & cymbalum tinniens*, ut ait Apoſtolus. (1) His accedat oportet exacta

(1) 1. *Cor.* 13.

acta cognitio indolis & morum in diverſis auditorum claſſibus: hæc ſi deſit, multa fient præpoſtere in tam ſancto negotio: eadem ratione tractabuntur animi bonorum, uti ſceleratorum, doctorum ut rudium, nobilium ſicut plebejorum; quæ civitati convenirent, transferentur in pagos & villas, & ubi catecheſi eſſet opus, exquiſita oratio proponetur: tenera juventus audiet, quæ vix adultorum caſtæ aures ſuſtinebunt: non raro aceti plurimum, fere nihil olei vulneribus ſanandis affundet Samaritanus: nonniſi fulgura & fulmina adverſus vitia e ſacris exedris ciebunt ſtrepitum; de virtutibus altum ſilentium. Præterea eorum, qui ad concionem confluere ſolent, adfectiones probe ſunt internoſcendæ, quæ ſæpius tam profunde inhærent cordi, ut vix perſpicaciſſimis aditus pateat. Afferre oportet nunc, quæ pungant & lancinent, nunc quæ blandiantur & molliant; jam calcaribus, jam freno eſt opus; modo vis adhibenda, modo preces, quin & lacrymæ, quemadmodum tempus, locus, indoles, mores, morbi animorum, calamitas aut felicitas, præſertim publica, poſcunt. Formet autem ſacer Eccleſiaſtes, antequam ad concionem prodeat, harum rerum ideas, quam maxi-

me

me poteſt, vivas & fortes in officina mentis ſuæ, easque induat ipſe, ad earum normam ſermonem ſuum, actionesque omnes moderetur, ſibique dictum exiſtimet illud Horatii:

Si vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi.

§. VIII.

Vis & efficacia ſacri Eloquii.

LII.

Coronam imponant huic capiti & libro effectus ſacræ Eloquentiæ, longeque excellentiores iis omnibus, quibus unquam profana ſeu in roſtris ſeu in curiis inclaruit, & ſuperbivit Athenis aut Romæ. Quid enim? vim & potentiam illius ex fructu, quem in Reipublicæ omnisque hominum generis bonum & felicitatem progignit, metiri oportet. Triumphavit quidem ſæpius Demoſthenes de ingratis & perverſis quibusdam civibus, fregit Tullius Catilinæ & Antonii male ſanas in Rempublicam molitiones: ſed niſi Oratoris vocibus acceſſiſſent arma, nunquam fuiſſet debellatum. At ſacra Eloquentia, etiam ſine armis, fortiſſimos Reges ac Imperatores expugnavit, integras regiones non ferro &

terrore, ſed innocenti ſuada Chriſti jugo ſubjecit, potentium etiam Virorum libidines, avaritiam, crudelitatem, aliaque vitia graviſſima compreſſit, veræ fidei & Eccleſiæ ſanctæ dogmata, ac Chriſtianarum virtutum decora in exteras quoque plagas, & gentes barbaras, atque idolorum cultui addictiſſimas glorioſe invexit & propagavit. Innumera hujus rei exſtant monumenta, nec eſt, qui neſciat, quibus armis Apoſtoli mundum univerſum Chriſto ſubjugarint, ſacro nimirum Eloquio: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* (d) S. Dionyſius Areopagita primo ſtatim ſeculo Chriſti nati Martis, falſorumque Deorum ſimulacra in Galliis confregit, execrabiles ritus, ſuperſtitiones nefarias, vagosque concubitus ſuſtulit divina, non humana, qua maxime alias polluit, eloquentia. D. Juſtinus Marryr Vir Ordinis Senatorii ſecundo ſeculo Apologia duplici in Senatu recitata Chriſtianorum patrocinium ingenti animo ſuſcepit, victima veritatis, quam demonſtravit voce ac ſanguine. Integra regna concionibus ſuis ad Chriſti fidem perduxerunt S. Remigius Galliam, S. Auguſtinus cum diſcipulis Angliam, S. Bonifacius magnam Germaniæ partem, SS. Leander & Irenæus Hiſpaniam, Helve-

(d) *Marci* 16.

Helvetos Rhœtosque S. Columbanus, Friſones & Belgas S. Amandus, Bavariam Tyrolim Auſtriam S. Euſtaſius primum, & qui veſtigia preſſit, S. Rupertus, S. Chilianus Franconiam, &c. Quo Romani Belliduces ac Imperatores armis atque victoriis non potuerunt, penetrarunt Verbi divini gladio atque triumphis ſacri Oratores. Plus ultra progreſſus eſt magnus Indorum & Japonum Apoſtolus S. Franciſcus Xaverius, qui gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, Regesque potentiſſimos vi atque virtute cœleſtis eloquentiæ Evangelio vectigales reddidit: quem plurimi ex omni fere SS. Ordinum genere per terras & maria ſecuti ſunt in debellanda idololatria ac ſuperſtitione ſuppetias laturi, verbo potentes, palmis glorioſi, non raro etiam ſanguine purpurati. Quid dicam de Athanaſio, Ambroſio, Baſilio, Chryſoſtomo, qui coram Imperatoribus & Auguſtis mulieribus inter arma frementia, inter gladios & ſicas, inter exilia, & fortunarum dignitatumque jacturas, inter mortes intentatas eloquio confiſi atque intrepidi pro cauſa Dei ſteterunt & decertarunt glorioſiſſimi Athletæ? Quid de S. Bernardo, S. Antonio, S. Vincentio Ferrerio, qui zelo pleni ſermonis ſui energia innumeros partim vitiorum cœno immerſos & ab inferno vix uno paſſu diſtan-

tes ad meliorem reduxere frugem, partim ad Chriſtianæ virtutis ac perfectionis apicem promoverunt? Neque noſtris hiſce temporibus inſignes deſunt viri, e quorum ore, dum e cathedra loquuntur, & ſeu docent, ſeu tonant, integræ civitates pendent, fructu ſane uberrimo, nec ſolum in animarum ſalutem, ſed etiam Reipublicæ felicitatem redundante. Hoc auſim dicere, ſi vel uno anno in urbe aliqua tacerent in exedris ſacra hæc Oracula, contingeretque id, quod Samuelis temporibus: *Sermo Domini erat pretioſus in diebus illis, non erat viſio manifeſta.* (e) Hoc, inquam, auſim dicere, Eccleſiæ hortum in ſylvam abiturum, morum corruptelam fore maximam, virtutem ſuccubituram, triumphatura ubique vitia, & ejusmodi civitatem ſe in ſe ipſa quæſituram eſſe. Verum de ſacra Eloquentia ſatis, in qua non ſine conſilio diutius diverſari placuit, quum hæc fere ſola Veteris illius ſorenſis imago nobis relicta eſſe videatur.

INDEX

(e) 1. *Reg. Cap.* 3.

INDEX
RERUM ET VERBORUM

L. Indicat Librum. N. Numerum Libri.

A.

Actio a Cicerone dicitur : ſermo corporis & eloquentia animi. L. 4. N. 19.

Actionis varia genera verſibus illuſtrantur. L. 4. N. 20.

Adjumenta ad eloquentiam ſacram : ſtudium S. Scripturæ : lectio SS. Patrum : Theologia præſertim Moralis : cognitio indolis auditorum. L. 4. N. 40. 46. 50.

Agamemnon ad Trojam occupandam deſideravit Ducem eloquentem. L. 4. N. 1.

S. Ambroſii oratio de S. Agnete : item Apoſtrophe ad Herodem. L. 4. N. 49.

Athenienſes primi coluerunt eloquentiam profanam. L. 4. N. 11.

Athenienſes legem tulerunt, ne Oratores in judiciis affectus excitarent, & quare. L. 4. N. 13.

S. Auguſtini ſermo de cæde parvulorum innocentum: item de VII. Fratribus Martyribus, & S. Felicitate matre. L. 4. N. 49.

B.

S. Bernardi ſermo de nomine B. V. Mariæ. L. 4. N. 49.

C.

Characteres Oratoris: docere, delectare, movere; quomodo iſta obtineantur. L. 4. N. 21.

Characteres eloquentiæ in SS. Patribus. L. 4. N. 49.

S. Chryſoſtomi oratio pro Antiochenis civibus ad Theodoſium Imp. L. 4. N. 49.

S. Chryſoſtomi dormientis ori apes inſedisſe feruntur. L. 4. N. 2.

Ciceronis elogium: Synopſis trium librorum de Oratore. L. 4. N. 33.

Comparatio Ariſtotelis & Ciceronis. L. 4. N. 33.

Confirmatio & Confutatio, quomodo utraque inſtitui debeat. L. 4. N. 23.

Ad

Ad eam maxime requiritur amplificatio. L. 4. N. 23.
Difficilior eſt Confutatio quam Confirmatio. L. 4. N. 23.
Criſis Ludovici Vives de Ciceroniano dicendi genere. L. 4. N. 25.

D.

Declamationum origo. L. 4. N. 5.
Refelluntur, qui Declamationes in Juvenibus improbant. L. 4. N. 5.
Deliberativum genus, ejus artificium & dotes. L. 4. N. 7.
Deliberativi generis fontes: boneſtum, utile, ac neceſſarium. L. 4. N. 7.
Deliberationes ob concionum nimiam libertatem ad Curiam translatæ ſunt. L. 4. N. 7.
Deliberativi generis exemplum e libro Judith. L. 4. N. 43.
Demoſthenis facundia Athenas conſervari dicebat Philippus Macedo. L. 4. N. 1.
Dicendi triplex genus: Judiciale, Deliberativum, & Exornativum. L. 4. N. 6.
Variæ opiniones de optimo dicendi genere. L. 4. N. 25.
Dictionis characteres in variis Oratoribus. L. 4. N. 25.
Dicendi alia tria genera: ſubtile, temperatum, & ſublime. L. 4. N. 25.

Dicendi genus ſubtile, ejusque dotes. L. 4. N. 26.
Pauci hoc aſſequuntur. L. 4. N. 26.
Exempla illius e Cicerone & Quinctiliano. L. 4. N. 26.
Dicendi genus temperatum in quo conſiſtat : ejus dotes & characteres. L. 4. N. 28.
Dicendi genus ſublime : ejus dotes. L. 4. N. 27.
Adjumenta : ratio cogitandi nobilis, verba magnifica, & figuræ pathetica. L. 4. N. 27.
Exempla e Cicerone. L. 4. N. 27.
Dictionis ornatæ inſigne exemplum e Cicerone L. 4. N. 29.
Duo monita circa ornatum dictionis. L. 4. N. 29.
Diſpoſitio, ejusque neceſſitas. L. 4. N. 16.
Alia eſt naturalis, alia artificialis. L. 4. N. 16.
Ars diſponendi argumenta in triplici genere orationis. L. 4. N. 16.

E.

Elocutio eſt propria dos eloquentiæ. L. 4. N. 17.
Tria ſunt in hac ſpectanda : elegantia compoſitio, & dignitas. L. 4. N. 17.

Eloquen-

Eloquentia potens Orphei & Amphionis. L. 4. N. 1.
Eloquentium triplex classis : Rhetorum, Oratorum, & Declamantium. L. 4. N. 3.
Eloquentiæ laude inter Græcos primi floruerunt Pericles & Thucidides. L. 4. N. 9.
Viri eloquentes reliqui inter Græcos. L. 4. N. 11.
Enumerantur Latini, qui eloquentia insignes fuerunt. L. 4. N. 11.
Eloquentia sacra floruit jam in populo Israelitico, in Mose & Aarone. L. 4. N. 12.
Dein in Prophetis & Apostolis. L. 4. N. 12.
Tum in Patribus, quorum eloquentissimi enumerantur. L. 4. N. 12.
Eloquentia inclinavit translatis e foro ad curiam gravioribus causis. L. 4. N. 13.
Eloquentia profana transiit in sacram, & e foro ac rostris ad cathedras. L. 4. N. 13.
Eloquentiæ fucatæ specie decipiuntur multi Oratores juvenes. L. 4. N. 28.
Eloquentiæ naturalis nomine quid intelligatur. L. 4. N. 35.
Eloquentes homines fuerunt ante artem inventam, non tamen Oratores. L. 4. N. 35.

Eloquentiæ civilis & forenſis origo. L. 4. N. 36.
Hanc maximi fecerunt Græci & Romani. L. 4. N. 36.
In duobus præcipue generibus ſe exercebant, in deliberativo & judiciali. L. 4. N. 36.
Eloquentia forenſis abrogata fuit ob Oratorum iniquas artes in cauſis agendis L. 4. N. 37.
Eloquentiæ ſacræ præſtantia ſupra profanam. L. 4. N. 38.
Ejus dignitas, utilitas, potentia, majeſtas, & auctoritas. L. 4. N. 38.
Ejus charactéres, veritas, claritas, ornatus, ſpiritus. L. 4. N. 39.
Exordium unde nominetur. L. 4. N. 21.
Tria in eo ſpectantur: benevolentia, attentio, & docilitas: unde petantur. L. 4. N. 21.
Quid cavendum in Exordiis. L. 4. N. 21.
Exornativum genus: ejus artificium & dotes. L. 3. N. 8.
Quando in uſu eſſe cœperit. L. 4. N. 8.
Exornativi generis fontes. L. 4. N. 8.
Exornativi generis exemplum ex Actis Apoſtolorum. L. 4. N. 35.

G.

Gracchi mira & potens eloquentia naturalis. L. 4. N. 35.
S. Gregorii M. Sermo contra pſeudoſapientiam hujus mundi: item invectiva in Judæorum pertinaciam. L. 4. N. 49.

H.

Homerus inſignis Orator teſte Cicerone. L. 4. N. 30.
S. Hieronymi præclarum teſtimonium de Demoſthene. L. 4. N. 30.

I.

Inventio argumentorum eſt ars reconditа. L. 4. N. 15.
Eſt magis ingenii, quam induſtriæ opus. L. 4. N. 15.
Fontes, e quibus argumenta petuntur. L. 4. N. 15.
Iſocrates, licet palam perorare non ſit auſus, inſignis tamen artis hujus magiſter exſtitit. L. 4. N. 3.
Judiciale genus: ejus artificium & dotes. L. 4. N. 6.
Ejus exemplum præclarum ex Actis Apoſtolorum. L. 4. N. 44.

L.

L.

S. Leonis Papæ ſermo de Principibus Apoſtolorum. L. 4. N. 44.
Loci Rhetorici : eorum utilitas, & ſelectus. L. 4. N. 15.

M.

Memoria : ejus duplex officium. L. 4. N. 18.
Memoria artificialis. L. 4. N. 18.
Mercurius eloquentiæ parens a priſcis habitus. L. 4. N. 9.

N.

Narratio : ejus dotes : brevitas, claritas & probabilitas. L. 4. N. 22.
Numerianus maluit dici ſe Oratorem, quam Imperatorem. L. 4. N. 1

O.

In Oratore natura & ars conſpirare debent. L. 4. N. 4.
Quænam ex his potior ſit. L. 4. N. 4.
Oratoris officium ex Quinctiliano. L. 4. N. 4.
Oratores in genere deliberativo excellentes fuerunt apud Athenienſes & Romanos. L. 4. N. 7.
Oratores tum Græci tum Romani Clari in dicendo. L. 4. N. 30. & 13.

Ora-

Oratores Clari in docendo. L. 4. N. 32. 33.
Oratores celebriores in utraque palæstra Recentiores enumerantur. L. 4. N. 31. & 34.
Oratores Recentiores & Veteres. L. 4. *N.* 37.

P.

Peroratio quid sit, & quomodo fieri debeat. L. 4. N. 24.
Pitheus primus in templo Musarum apud Græcos artem Rhetoricæ professus est. L. 4. N. 30.
In Peroratione omnes vicit Tullius. L. 4. N. 24.
Platoni in cunis dormienti apes insedisse feruntur: quare. L. 4. N. 2.
Pompejus M. legem tulit, ne Actor protraheret orationem ultra duas horas: Patronus vero non ultra tres. L. 4. N. 13.
Pronunciatio, quæ ab aliis Actio dicitur: in quo consistat. L. 4. N. 19.
Pronunciationis maxima vis in varietate. L. 4. N. 19.

Q.

Quinctiliani elogium, & synopsis librorum de Institutione Oratoris. L. 4. N. 34.
Illius insigne testimonium de arte Rhetorica. L. 4. N. 2.

R.

R.

Rhetorices quinque prærogativæ: antiquitas, nobilitas, utilitas, potentia & amplitudo. L. 4. N. 1.
Rhetorica orta est ex societate hominum. L. 4. N. 9.
In liberis civitatibus nata & educata. L. 4. N. 10.
In Aristocratia & Polyarchia magnos progressus fecit, non item in Monarchia. L. 4. N. 10.
Rhetoricæ originem tribuit Cicero Conditoribus urbium, & Legislatoribus: Aristoteles vero Siculis. L. 4. N. 10.
Rhetoricæ œconomia & artificium: quinque illius partes. L. 4. N. 14.
Partitionis istius causſæ. L. 4. N. 14.
Rutilius, dum noluit ornata oratione defendi, causa cecidit. L. 4. N. 28.

S.

Salviani invectiva in Carthaginem luxuriantem. L. 4. N. 49.
S. Scriptura materiam præbet ad dicendum magnificam, & argumenta ad persuadendum efficaciſſima. L. 4. N. 40.
Pollet sermonis gravitate & elegantia. L. 4. N. 41.

Descri-

Deſcriptiones & affectus continet mirificos. L. 4. N. 31.
Sententiæ illuſtres Patrum plures recenſentur in diverſo genere vitiorum & virtutum. L. 4. N. 48.
Synopſis librorum Ariſtotelis de Rhetorica. L. 4. N. 32.

T.

Triumviri eloquentiæ Romanæ: Hortenſius, Julius Cæſar, & Cicero. L. 4. N. 31.
Tullii inſigne elogium artis Rhetoricæ. L. 3. N. 2.

V.

Vis & efficacia ſacri Eloquii: multum ſuperat potentiam profanæ eloquentiæ. L. 4. N. 51.
Hæc efficacia exemplis demonſtratur. L. 4. N. 51.
Vitia ſtyli oratorii. L. 4. N. 28.

NAC 2018677